This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Accession No. 737.
Nr. 2409.
H

gift of

Marianne Mills

LELAND STANFORD JUNIOR UNIVERSITY
ORGANIZED 1891

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES

ORIGINES
POESIS ROMANAE

SCRIPSIT

DR. W. CORSSEN.

Non, si non potuero indagare,
eo ero tardior; sed velocior
ideo si quivero.
Varro.

BEROLINI.
GUST. BETHGE.
MDCCCXLVI.

PA6047
A2C6

EX BIBLIOTHECA ZUMPTIANA

SEDINI.
Typis heredis H. G. Effenbarti
(J. T. Bagmihli).

Index.

Corrigenda.

Ignoscant, quaeso, aequi lectores, si praeter haec gravissima notata aliquoties c pro e, t pro l, n pro m vel u, alia ejusmodi invenerint, quum non cura sed oculus defecerit insuetus hujus corrigendi laboris, haud raro etiam typothetae operae defuerint (ut a p. 71—80).

Pag. 10 lin. 12 pro *Carsmenas* scrib. *Casmenas.*
10 not. 5 lin. pro *rividis* scrib. *rigidis.*
„ 17 lin. 13 pro *Tarquiniensis* scrib. *Tarquinienses.*
„ 21 lin. 17 pro *rege* scrib. *regi.*
„ 30 lin. 10 pro *querenda* scrib. *quaerenda*, lin. 11 pro *latus* scrib. *latens,* lin. 30 post. *ortae* adde *formulae.*
„ 36 lin. 13 pro *praeposuerunt* scrib. *praeposuit.*
„ 42 lin. 26 pro *Saturnus* scrib. *Sateurnus.*
„ 46 lin. 11 pro *votu* scrib. *rota.*
„ 57 lin. 6 pro *nives* scrib. *niveo.*
„ 64 lin. 16 pro *ἀϱτλῶ* scrib. *ἀντλῶ.*
„ 71 lin. 30 pro *silentia* scrib. *silentio.*
„ 73 lin. 16. pro *fluida* scrib. *fluidae*, lin. 26 pro *indicere* scrib. *incidere.*
„ 74 lin. 15 pro *Adina* scrib. *Aldina.*
„ 76 lin. 13 pro *eo* scrib. *oe,* lin. 26 pro *hostia* scrib. *hostiae,* lin. 11 pro *sic* scrib. *sit.*
„ 82 lin. 32 pro *e* scrib. *a.*
„ 84 lin. 6 pro *Auguriorum* scrib. *Augurio,* lin. 20. pro *Aulicoria* scrib. *Aulicocia.*
„ 96 lin. 31 ante *duabus* adde *et.*
„ 104 lin. 6 pro *traditum* scrib. *traditam,* lin. 7 pro *constitutum* scrib. *constitutam.*
„ 105 not. 5 lin. 7 post *illorum* adde *quidem.*
„ 124 lin. 7 pro *videmus* scrib. *videmur.*

I.

PROLEGOMENA.

Pagina judicium docti subitura movetur.
Ovidius.
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.
Horatius.

Quum superiore saeculo historiae Romanae tractandae ratio, quippe quae antea in ipsis scriptorum locis verbisque haereret, Perizonio, Baylio, Beaufortio, aliis auctoribus in criticam illam mutaretur rationem, quae lapide ut ita dicam pro pane oblato, fabularum mendaciorumque nos habere contextum pro historiae auctoritate fideque probare nobis studuit, primum Niebuhrius, et dissoluta nota historiae Romanae specie, et nova ejus imagine depicta, splendida quidem, at non ubique cum rerum natura conveniente, carmina epica fuisse fontes, unde ea quam tradant scriptores antiqui historia fluxerit, non solum ex ipsa re demonstrare, sed etiam scriptorum locis confirmare studuit. Inde vero ad duplicem normam studia hominum doctorum directa sunt: primum ut investigarent quinam essent revera certi et antiquissimi historiae Romanae fontes, deinde ut ad contemplationem popularis quae vocatur Romanorum poesis paullo diligentius animum adverterent. Tum qui historiae fidem auctoritatemque restituere et sustentare studebant Niebuhrii conjecturam aut argumentis non satis firmis refellere conati sunt, aut prolatis quibusdam locis communibus ut vanam fictitiamque omittendam temere prae-

dicarunt [1]). Quo in genere haud ita multum effectum videtur, praeterquam quod Lachmannus subtili de fontibus T. Livii commentatione non secutum esse hunc scriptorem carmina epica demonstravit [2]); quamquam ambiguum inde restat, utrum ab annalium scriptoribus vel ab antiquissimis poetis Naevio et Ennio quaedam carminibus deprompta sint necne.

Inter eos contra qui poesis Romanae rationibus consulere volebant, invaluit Blumio potissimum quod sciam auctore sententia: etiamsi non unum tantae quantae Niebuhrius voluerit amplitudinis epos compositum sit, tamen multa minoris ambitus carmina epica in ore hominum versata, quae pro temporum ordine sponte in connexum quendam concreverint [3]). Eandem sententiam complexus Krausius, sumpto sibi negotio cum ceteros Niebuhrii adversarios, tum Schlegelios fratres refutandi in locis scriptorum interpretandis singulisque quibusdam argumentis dijudicandis multus esse coepit [4]). Hic vero ut praejudicatae satisfaceret opinioni, multa affirmavit, quae in contrarium versa eodem vel etiam meliore jure manent vera, scriptorum sensus temere distorsit, gravissima quaedam non pauca aut in ambiguo reliquit, aut silentio praetermisit, in errores denique et repugnantias incidit apertissimas, quae suis deinceps locis ostendentur.

---

[1]) Contra Niebuhrium praecipue disputarunt: A. W. Schlegel Heidelb. Jahrb. 1816. No. 53. et Fr. A. Schlegel. Jena. Littz. 1816. No. 183, qui totam Romanorum historiam antiquissimam sexto demum urbis conditae saeculo a Graecis confictam temere statuerunt, Wachsmuth. Röm. Gesch. Halle 1819. Schlegelios quidem refutavit, minime Niebuhrii de carmine epico conjecturam. Ulrici: Charakteristik der alten Historiographie. Berlin. 1833. rem discerni non posse profitetur; Peter a Kobbe: Roem. Gesch. Leipz. 1839. totam conjecturam ut fictam et dijudicatam nullo negotio omittit.

[2]) Lachmann: de fontibus T. Livii. Goettingae. 1822.

[3]) Blume: Einleitung in Roms alte Gesch. Berl. u. Stettin. 1833.

[4]) Krause: Röm. Literaturgeschichte. Berl. 1835. Th. I.

Tamen facere non potest quin concedat Blumio et Lachmanno: Dionysio et Livio in scribendis historiis carmina epica in promptu non fuisse, quamvis de Q. Ennio id ipsum mira argumentatione usus demonstare pro virili parte studeat.

Novissimo denique tempore Petersenius disputatione de originibus historiae Romanae edita tantum iisdem carminibus tribuit, ut et Livium neglectis publicis literarum monumentis haec in prosam orationem convertisse persuadere nobis velit, et qualia exstiterint de unoquoque regum, Blumium secutus de minore eorum ambitu, constituere audeat. Qui cum caute profiteatur: quae non e carminibus deprompta sint, ea tantummodo in antiquis regum commentariis — quorum vestigia ipse persequitur — infuisse, tota commentatione sua nihil aliud effecit, quam quod Niebuhrius voluit, nos nisi foedera, senatus consulta, leges, nomina quaedam vera statuerimus, nullam prorsus habere veram genuinamque antiquissimarum rerum Romanarum historiam.

Omnino vero ea fere sola argumenta sunt apta, quae ipse vir ingeniosus Niebuhrius affert ad suam sententiam defendendam; a ceteris quae adduntur erroribus plerumque falsisque debentur locorum interpretationibus, inde ortis, quod satis habebant locos quosdam de canendi in epulis Romanis more prout quisque vellet interpretari, nulla ceterorum poesis popularis generum ratione habita.

Ita vel peritis antiquitatis existimatoribus in varietate ac dissensione versantibus, ante hoc biennium ab amplissimo ordine philosophorum universitatis Friedericae Guilhelmae Berolinensis haec est quaestio proposita:

> »Quum nostra aetate in priscis Romanorum rebus tractandis et dijudicandis populari quam vocant poësi multum tributum sit, quaecunque supersunt reliquiae vel vestigia talium carminum apud Romanos et gentes Romae finitimas natorum, sive iis epicae sive lyricae seu scenicae poesis primor-

dia contineri videntur, ne sacris quidem cantilenis neglectis, conquirantur diligenter, atque accurate inquiratur, utrum carmina hujusmodi, quae quidem majorum res gestas continuerint, in vetustissima Romanorum historia condenda magnum habuerint momentum.«

Patet certe, de re tam intricata qui recte judicare velit, eum et totam popularem Romanorum poesin qualis ex ingenio moribusque populi procreverit contemplari debere, ut cujus fuerit momenti mos ille in epulis canendi res majorum, perspicere possit, et fontes historiae Romanae indagare, ut demonstret, qua ratione poetica ejus species quaedam illa, quam Niebuhrius non posse aliunde nisi ex epicis carminibus depromptam esse arbitratus sit, orta et conformata videatur.

Cujus argumenti commentationem meam qualemcunque praemio ornatam quum per hoc tempus constantiore cura diligentiaque in reliquiis carminum vetustorum colligendis, restituendis, explicandis posita ita retractaverim et amplificaverim, ut in libellum mihi incresceret, primum omnia popularis Romanorum poesis genera complexus fragmenta si qua exstant conquisivi, critica quantum in me est ratione adhibita emendavi atque interpretatus sum, denique de vi et indole eorum judicium feci. Quo in genere singularem operam collocandam arbitratus sum in antiquissimis carminibus sacris Saliorum et Arvalium sacerdotum explanandis, quippe quae summi momenti esse viderem et ad priscas literas Latinas dijudicandas et ad proprias vetustorum Romanorum religiones perspiciendas. Atque hic temperare mihi non possum, quin gratias agam quam maximas viris clarissimis C. Lachmanno et Th. Bergkio, quorum benevolentia et doctrina quantopere mihi praesto fuerit in his studiis persequendis et recolendis, infra suis locis profitear.

De fabulis contra Atellanis pro ratione hujus libelli eum tantummodo in modum egi, quatenus ad poesin popularem pertinere videbantur, quoniam de tota hac provincia singularibus libris viri docti copiose ac diligenter scripserunt.

Hunc assecutus consistendi circumspiciendique locum quum mihi videretur nullo scriptorum omnium loco significari carmen epicum continuum de historia Romana antiquissima compositum, ut interioribus quae vocantur sive ex ipsa re depromptis argumentis Niebuhrii occurrerem, demonstrandum mihi erat, primum Q. Ennium minime carmina epica antiqua in suum usum convertisse, tum quinto urbis conditae saeculo non floruisse aliquam epicam poesin, nedum ceteras artes liberales, deinde, quidquid poeticum videri possit in historia Romana, aliunde atque ex epicis carminibus esse repetendum. Ita disposita hujus scriptionis ratione in fine addidi brevem de versu Saturnio quaestionem, quam non omitti posse ad reliquias carminum hoc numero compositorum dijudicandas expertus essem.

In tota vero inquirendi, argumentandi, dijudicandi ratione quod ubique quantum potui certis et distinctis verbis discrepantes aliorum sententias reprehendere et refellere, meam demonstrare et defendere studui, confido non esse nostrae aetatis, veri pro virili parte studium cuiquam immodestiae et arrogantiae vertere. Errores vero si quis me doctior et sagacior in hoc libello arripuerit, ne culpae mihi tribuat, Varronem appellaverim: »non mediocreis enim tenebrae in silva, ubi haec captanda; neque eo quo pervenire volumus semitae tritae; neque non in tramitibus quaedam objecta, quae euntem retinere possent.«

II.
DE GENERIBUS CARMINUM INGENIO ITALORUM NATIS.

Speciosis condere rebus
Carmina vulgatum est opus et componere simplex.
M. Manilius.

Quod popularium omnino id genus esse carminum dicimus, quod in certis repetitisque vitae aut publicae aut privatae actibus solemnibus ita cantetur, ut pars quaedam horum necessaria atque integra esse videatur, idem etiam de carminibus Romanorum popularibus animadvertere licet, quum ad partum, nuptias, funera, messem, convivia, triumphos, religiones certa spectent cantilenarum genera, modis et verbis earum sponte una provocatis. Hic vero quoniam fieri non potuit, quin ingenium cantantium expressum cognoscatur, etiam una cum hoc progrediente popularis illa poesis necesse est procedat, et variam pro variis temporibus speciem indolemque prae se ferat. Qui quidem connexus in hac commentatione probe observandus erit, ut de singulis carminum generibus recte judicetur, ideoque bene perpendendum, interesse aliquid inter ingenii indolem agricolarum Italicorum et disciplinam civium Romanorum. Nam ad superstitiosam rerum contemplationem Italis propriam fertilique prodigiorum terra ortum, et ad obscoenitatem lasciviamque luxuriantem e fervido sanguine coeloque amoeno meridionalium nationum manantem accedit acies quaedam ingenii ad jocandum et illudendum prona, ita ut in omnes Italos cadere videatur hoc de Hadriano dictum: »Acer nimis ad lacessendum pariter et respondendum seriis, joco, maledictis: referre carmen carmini dictum dictui, prorsus ut meditatum crederes adversus omnia« [1]; unde etiam scenicum quoddam diverbii genus

[1] *Vett. Imper.* Epitom. ap. Aurel. Vict. c. 14.

hujus popularis Romanorum poesis proprium esse, infra suis locis apparebit.

Ab hac vero ingenii Italorum indole secernenda sunt haec quatuor capita praestantiae civium Romanorum: virtus, pietas, pudor, frugalitas, non tam in ipso succo et sanguine nata, sed pro respublicae rationibus educatione civium animis extrinsecus insinuata. Itaque omnino respublica adversaria erat incrementis popularis poesis, quum pro sua utilitate certa carminum genera, velut sacra, funebria, convivalia legibus juvare et ad certam statutamque normam redigere, alia contra, velut ludicros omnes versus, vi cohibere vellet. Sic denique factum est, ut etiam oppositio patriciorum et plebejorum hac populari poesi exprimeretur, quum procedente plebis libertate alterum illud genus sensim aboleretur, alterum majore in dies licentia jactaretur.

Hac ratione quamvis stultum sit abjudicare a magno Romanorum ingenio poeticam indolem ac facultatem, tamen civium ingeniis in uno perficiendo reipublicae artificio occupatis, repressus est aliquamdiu canendi fingendique sublimior liberiorque impetus in mobili et viva nitens imaginandi vi, donec Graecis exemplis propositis denuo excitaretur, et quantum valeret manifestum faceret.

III.
DE VATUM VERSIBUS.

> Sic honor et nomen divinis vatibus atque
> Carminibus venit . . .
>
> *Horatius.*

Quum in silvestribus locis umbrosisque speluncis per foliorum vento aeque motorum lenem susurrum, et fontium rivulorumque unisona murmura horror quidam in animos intrantium divinitus effundi videretur, numina quaedam ibi habitare rustici Italici credebant, quae modo

futura vocibus praemonere, modo aegrotantia hominum corpora salubri aqua mersa sanare, nonnunquam fascinationibus agricolas terrere ac ludere solerent. Ita prope Cumas Sibylla in foliis vento disjectis disturbatisque obscura carmina scribere, et Albunea Tiburtina in undas aquae Albuneae: »quae maxime sacro

Fonte sonat saevamque exhalat opaca mephitim«

sortes spargere putabatur, sic ab Anguitia quadam dea ad lacum Fucinum adorata Marsi magicam suam serpentium disciplinam repetebant, sic denique Fauna, Fatua, Saturnia sonanti voce versibusque Saturniis fari atque canere futura dicebantur [1]). Similia vero *carmina Carmentam* fatiloquam apud Italicas gentes quondam feminam edidisse, et sacrae fabulae habent, et verbum ipsum a *carmine* deducendum docet; quae quid sit quod etiam in partu feminarum praesens esse et opem ferre credatur, rei natura considerata haud difficile perspicitur.

Nam quum superstitiosa religio natura esset insita in animis Italicarum gentium, ut effascinationibus, carminibus incantationibusque magicis, aliis innumeris rebus vim secretam ac perniciosam subesse crederent, partu praecipue hominum ceterorumque animalium ostendi, monstrari, portendi putabant [2]). Quum prorsus magna saepe fuisse in Italia multitudo feminarum veridicarum tradatur [3]), quae per furorem divinitus excitatae tempora bello, pestibus, fame, terrae motibus atra vaticinarentur, fieri non potuit, quin ad partus edendos sagarum magicis furibundisque carminibus magnam homines superstitiosi, ut apud nos quoque creditur, vim inesse arbitra-

---

[1]) De Cumana Sibylla v. Aen. Virg. III, 441, de Albunea: Aen. VII, 52. et Tibull. II. 5, 69. De his et ceteris ejusmodi numinibus cf. Hartung. Rel. Rom. Index.

[2]) Dionys. A. R. VII, 68. Liv. XXXVII, 3. Plin. H. N. VIII, 44. Sueton Galb. c. 4.

[3]) Dion. A. R. VII, 68.

rentur. Inter has igitur Carmenta potissimum et partus feminarum tueri, et futura divino inflatu praemonere putabatur; id quod Plutarcho duplex diversumque munus visum est, ab aliis dicenti illam *μοῖραν κυρίαν ἀνθρώπων γενέσεως* appellatam esse, ab aliis fatiloquam anum. Ipsum vero nomen Carmentae, cujus originem, ut solent omnino, grammatici satis inepte interpretantur in aprico est idem ac *Camenam* seu *Casmenam* esse, ejusdem stirpis atque *canere* et *Canentem*. Itaque vetustissima religione *Carmenta, Camena, Canens* idem numen significarunt, post divisis muneribus Carmenta in partu mulierum praesens esse, Camenarum vero communi nomine fatiloquae illae deae vel feminae ut Tacita, Aegeria, Fatua, Canens, Fauna, Saturnia appellatae esse videntur; sicuti est in elegantissimo epigrammate:

Cunctae igitur Camenae
Fonticolae puellae,
Quae canitis sub antris
Mellifluos Sonores" [4]).

Cum hac Camenarum vi et significatione optime congruit genuinus verbi carminis sensus, quippe quod omne dictum cum religione vel scientia divinitus per furorem hominum animis insinuata editum significet; unde et magicae incantationes et sacri juris formulae et deorum comprecationes carmina sunt appellata. Una quum poetae quoque divinitus inflammari viderentur, etiam horum versus carmina sunt vocata. Quem fuisse vulgo revera Camenarum et carminum vim etiam ex Horatii versibus colligitur, ubi queritur populum Romanum suo tempore fautorem antiquitatis tam studiosum esse, ut duodecim tabulas, regum foedera, pontificum libros, vatum annosa volumina a Camenis in sacro

[4]) Cf. Burmann. Anthol. Lat. Lib. I. Epigr. LXXV. p. 34. In Camenarum numero etiam Querquetulanae virae habendae sunt. Fest. p. 261. ed. K. O. Mueller.

Albano monte tradita esse dictitet; [5]) et eandem in sententiam Ovidius de Numa rege scripsit:

...„ducibusque Camenis
Sacrificos docuit ritus“ ...[6])

Quamobrem Festi interpretatio: „Camenae musae quod canunt antiquorum laudes“, a Niebuhrio ad conjecturam suam defendendam adoptata, nequaquam ullam habet vim, et inde facile oriri poterat, quod grammaticus verbum Casmenas in Ennii Annalibus lectum a verbo *cascos*, quo antiquos hic poeta appellavit, derivabat; fortasse etiam fretus hoc Attii versu:

„Veteres Carsmenas cascas res volo profari“ [7]).

Sic ubi statuimus Camenarum, Carmentae, Fabulae, Faunae, Canentis, ceterarum nominibus hujusmodi sapientium quae apud nos quoque inveniantur feminarum secretam ac superstitiosam artem vaticinandi, sanandi, puerperas juvandi significari, subtiliore sensu carere non videtur hoc Varronis dictum: „Quando igitur, inquit, contra naturam forte conversi in pedes (infantes) brachiis plerumque diductis retineri solent: aegriusque tunc mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratia arae statutae sunt Romae duabus Carmentibus: quarum altera Postverta cognominata est, Prosa altera: a recti perversique partus et potestate et numine [8]).“ Ex his

---

[5]) Hor. Epp. II, 1, 23
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis vel cum rividis aequata Sabinis,
Pontificicum libros, annosa volumina vatum
Dictitet Albano Musas in monte locutas.

[6]) Ovid Metamorph. XV, 482.

[7]) Fest. v. Camenae p. 42. Versus Ennii et Attii ap. Varro. L. L. VII. 3. p. 128. ed. Muell. Nieb. Hist. Rom. I, p. 269. ed. 3.

[8]) Varro ap. Gell. XVI, 16 Eadem numina in indigitamentis Postvorta et Antevorta seu Prorsa seu Porrima invocata

quoniam de perverso potissimum partu, ut de prodigio contra naturam edito existebant veridicarum feminarum praedictiones, conjecturae, interpretationes, etiam carmina hujusmodi vatum perversa nominabantur, quia in iis quoque aliquid insani et furibundi, quod abhorreret a communi jejunoque hominum sensu, inesse videbatur, et ut rectus partus, ita sana et communis oratio prosa appellabatur.

Jam ut de carminum a vatibus cantatorum amplitudine et indole judicare possimus quaerendum, quid antiqui scriptores de iis tradant, quod tenues tantummodo quaedam earum reliquiae ad nostram aetatem pervenerunt. Horatius igitur annosa vatum volumina memorat, quae non epica carmina continuisse cum res ipsa docet, tum Ciceronis loco optime perspicitur, ubi legitur fatorum veteres praedictiones Apollinis vatum libris contineri; quae quidem verba Valerius Maximus quam accuratissime e Cicerone exscripsisse videtur. [9]) Fuisse vero jam antiquissimis temporibus ejusmodi vatum libros, et fabula de Sibylla et Tarquinio rege tradita colligitur, et inde conspicitur, quod bello Punico secundo conquisitio talium librorum fiebat [10]); unde sequitur priore aetate, etiam magis vigente superstitione, similes institutas esse praedictionum collectiones; cujus generis collectiones etiam libros Sibyllinos fuisse admixtis etiam Graecis versibus maxime consentaneum videtur. [11]) Eadem vero cum his custodia etiam vaticinationes Begoës Etruscae nymphae, Albunae Tiburtinae, Publicii, Marciorum deni-

---

Cf. Hartung. Rel. Rom. p. 199. sq. Similem quidem de Camenis atque Carmenta profert Hartungius nostrae sententiae. l. c. p. 202. sq. at Camenas fuisse easdem ac Lares l. c. p. 204. nequaquam consentaneum est.

[9]) Cic. de Harusp. respons. IX, Val. Max. I, 1, 1.

[10]) Liv. XXV, 12.

[11]) Cf. Fr. A. Wolff. Antiq. Rom. ad Guertler et Hoffmann. Leipz. 1832. sec. de sacerdotibus Sibyllinis.

que, quo nomine complures fuisse vates verisimile est, servatae sunt. [12]) Quare hi omnes libri fatales sunt dicti vel libri tantummodo [13]), cujus generis cum apud ceteras mediae Italiae gentes, [14]) tum apud Etruscos magna erat copia. Praeter hos vero etiam in Etruscorum haruspicinis et fulguralibus et tonitrualibus quos Cicero profert libris, et Romanis auguralibus aliisque hujusmodi superstitionum plenis scriptis multa sine dubio inerant conjectorum, interpretum, haruspicum responsa.

De ratione praedictionum harum Cicero: »Callide, inquit, enim, qui illa composuit, perfecit, ut quodcunque accidisset, praedictum videretur, hominum et temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur« [15]). Itaque Senatus eo consilio libros istos conquiri jussit, ut similibus rebus adversis iterum incidentibus, velut bello, pestilentia, annonae caritate, terrae motu, frigore aestuque, civili dissensione, profici aliquid ex iis ad placandam deorum iram posset. Quodsi et re ipsa et e Livii historia cognoscitur, infelicissimis quibusque reipublicae temporibus plurimos jactatos esse vatum versus, consentaneum est sub finem tertii initioque quarti ab urbe condita saeculi inter ceterarum rerum labem hanc vatum poesin magna apud homines auctoritate floruisse [16]). Similem quidem claritudinem nacta est, quum Marciorum vaticinationes clade Cannensi ut divinitus insinuatae essent probatae; tamen

---

[12]) De Begoë cf. K. O. Mueller. Etrusc. II, p. 32, 37, 83. De Publicio Cic. Div. I, 40. Cf. Hartung. Rel. Rom. I, 129. sq.

[13]) Liv. XLII, 2; III, 10; V, 15, 16.

[14]) De Samnitibus tradit Liv. X, 16.

[15]) Cic. de Div. II, 54.

[16]) Luculenter hanc aetatem describit Niebuhrius Hist. Rom. II, p. 304. ed. 3.

universe quum sensim plebeji sacerdotum patriciorumque angusta dominatione se liberarent, etiam vatum superstitiones et versus minoris aestimari coepti sunt, donec Graecis literis ingenia Romana illustrantibus in contemptum abierunt. Deinde vero imperatorum aetate, irrepente ut fieri solet cum tyrannide etiam superstitione iterum in civitatem, vatum disciplinam in honorem quendam restitutam esse e multis vaticinationum exemplis a Suetonio traditis colligitur.

De carminum horum dicendi genere ut ab aliqua parte judicetur, adscribam vaticinationum argumenta a Livio et Macrobio servata, quae mire viri docti ex suo ingenio arbitrioque restituere in Saturnium numerum antiquum conati sunt. Vaticinatio hujusmodi in Vejorum obsidione edita esse fertur [17]):

No. 1. „Romane aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare manare suo flumine sinas: emissam per agros rigabis, dissipatamque rivis exstingues. Tum tu insiste audax hostium muris memor, quam per tot annos obsides urbem, ex ea tibi his, quae nunc panduntur, fatis victoriam datam. Bello perfecto, donum amplum victor ad mea templa portato: sacraque patria, quorum omissa cura est, instaurata, ut assolet, facito.«

Haec verba a Livio ab annalium scriptoribus suscepta non desperavit Hermannus se in illum sermonem vertere posse quo ante cladem Gallicam prisci Romani usi sint [18]).

Marcii vatis carmine clades Cannensis in haec ferme verba praedicta est:

No. 2. »Amnem Trojugena Cannam Romane fuge: ne te alienigenae cogant in Campo Diomedis conserere manus. Sed neque credes tu mihi, donec compleris sanguine campum; multaque millia occisa tua deferat

---

[17]) Livius. V, 17.

[18]) Herm. Elem. Doctr. Metr. p. 617.

amnis in pontum magnum ex terra frugifera; piscibus atque avibus ferisque quae incolunt terras, iis fuat esca caro tua: nam mihi ita Jupiter fatus est.«

Etiam hic Livium non critica ratione verba antiqui carminis descripsisse et delineasse, sed rhetorica licentia expressisse, docet praepositum: »in haec ferme verba.« Omnino vero quantopere istiusmodi conatus restituendi omni critico careant fundamento intelligitur collatis Livii verbis cum Macrobii, quibus alteram Marcii vatis carmen compositum fuisse scribunt:

No. 3. Livii XXV, 12.	Macrobii, Sat. I, 17.
»Hostem Romani si expellere vultis, vomicamque quae gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant: quum populus dederit ex publico partem, privati uti conferant pro se suisque. Iis ludis faciendis praeerit praetor is, qui jus populo plebeique dabit summum. Decemviri Graeco ritu hostiis sacra faciant: Haec si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior. Nam is divus exstinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascunt placide.«	»Hostem Romani si ex agro expellere vultis vomicamque quae gentium venit longe, Apollini censeo vovendos ludos, qui quotannis communiter fiant. His ludis faciendis praesit is praetor, qui jus populo plebique dabit summum. Decemviri Graeco ritu hostiis sacra faciant. Hoc si recte facietis, gaudebitis semper, fietque res publica melior. Nam is divos exstinguet perduelles vestros, qui vestros campos pascunt placide.«

Hoc vero carmen ipse Livius profitetur obscurius et perplexius scripturae genere fuisse. Contra ex ipsis Marciorum carminibus verba quaedam servasse videtur Verrius Flaccus, Festus p. 165. v. »Negumate in carmine Cn. Marci vatis significat negate, cum aït:

No. 5. *Quamvís moventiúm duoním negumaté*

ubi pro corrupto *moventium* scripserim *monentium*, ita ut sententia similis vatis, ac supra apud Livium lecta, sit: Sed neque credes tu mihi, donec. ctt.

Ac haec addo carmen antiquum fatidicae puellae cujusdam, quod de imperio Romano cantatum in hanc sententiam enotuit: »Oriturum quandoque ex Hispania principem dominumque rerum« [19]), quae verba in directam orationem versa numerum Saturnium perspicue prae se ferunt:

No. 6. ..... *Oriétur*
Quandóque ex Hispaniá princéps dominusque rérum.

IV.

DE CARMINIBUS SALIORUM.

Jucundaque Martis
Cernimus: insonuit cum verbere signa magister,
Mutatos edunt pariter tot pectora motus.

Claudius Claudianus.

De Saliis saepissime apud scriptores antiquos memoratos duplex exstat testimoniorum genus, alterum historicorum ac poetarum, qui de cultu religionibusque eorum tradunt, alterum grammaticorum, qui de carminum vetustorum oratione, reliquiis, singulis verbis disputant. Nihilo tamen secius lubrica manet de ea re scribendi facultas, quum hi Saliorum versus suo tempore jam vetustate obscuros profiteantur, illi raro integri sint ac periti religionum solemniumque quae viderunt existimatores. Recentiore aetate de nostra re quae animadversa sunt passim a viris doctis quamvis diligenter collata neque in singulis rebus sine critico judicio explicata sint a Gutberlethio, tamen deest ejus libello una ac sibi constans ratio, ut prae minutioribus permultis quaestionibus, quid sibi velit tota res nequaquam perspicue expressum sit.

---

[19]) Sueton. Galb. c. 9.

Illis igitur omissis ea tantummodo pro consilio hujus scriptionis tractanda arbitratus sum, quae ad carmina ipsa recte intelligenda idoneas ansas praebere posse viderentur [1]). Cui interpretandi muneri ut satisfiat, tria potissimum commentationis capita in disceptationem erunt vocanda:

a) Primum origines Saliorum cultus, et tempora quibus peragi solemnia solebant.

b) Deinde numina sacerdotum versibus invocata.

c) Postremo ipsorum carminum reliquiae, genus, connexus.

Atque in altera illa parte de Martis natura paullo plenius agendum videtur, quod et Arvalium et Saliorum comprecationum ratio, nisi illa probe cognita, dijudicari omnino non potest.

a) Quamquam diligentiores fere Romanorum scriptores non in ipsa urbe ortum esse Saliorum cultum profitentur, tamen unde repetendus sit pro certo non habent, quum plerique similitudinem quandam ejus cum Graecis Cabirorum, Curetum, Corybantum religionibus secuti aut a Samothrace insula, aut ab Arcadia cum Pelasgis in Italiam migrasse censeant [2]). Ne de numine quidem cui potissimum consecrati fuerint hi sacerdotes, inter

---

[1]) Omitto igitur quae de vestitu Saliorum, de forma apicum, anciliorum, coronarum disputavit Gutberlethius libro suo de Saliis Martis sacerdotibus Opusc. T. IV. Cap. X. et XI. p. 47—64, de mansionibus eorum p. 36, p. 95 — 96, de curia Saliorum p. 100, alia ejusmodi. Partem quandam hujus de Saliis commentationis jam antea imprimendam curavi Dissert. inaug. De Saliorum carminibus. Berolini 1844. Tamen non pauca nunc corrigenda statui.

[2]) Servius ad Virg. Aen. VIII. v. 285. refert ex aliis Salios a Dardano institutos, ut Samothracensibus diis sacra ministrarent. Fest. v. Salios p. 229. ed. Müll.: Polemon ait Arcada quendam fuisse nomine Salium, quem Aeneas a Mantinea in Italiam transtulerit. Critolaus Saonem appellavit. cf. Plut. vit. Num. c. 13.

eos convenit, aliis Herculi, aliis Marti istos assignantibus. Quibus sententiis quid subsit veri, investigata ratione, qua et cum Etruscis - Pelasgis et cum Marte aliisque priscis Italorum religionibus Herculis nomen cohaerere videatur, fore ut inveniri possit speramus.

Humano igitur sanguine Italicas gentes deos olim suos placasse cum scriptorum locis constat, tum cultus deorum Romanorum caerimoniis ritibusque comprobatur. Namque Etrusci pro tristi illo atque umbratili contemplandi sensu iram inferorum, Novensilium, Involutorum deorum suis capitibus semper imminentem omni piaculo placandam arbitrati, quantum profuderint sanguinis humani, inde colligitur, quod Tarquiniensis aliquando trecentos septem Romanos captos una diis suis mactarunt [3]). Item Sabini pii ac bellicosi Marti Quirino, quem hastae in terram defixae effigie usi adorabant, ver sacrum periculis urgentibus voventes inter ceteras proxime sequentis veris primitias etiam pueros puellasque innocentes consecrare solebant [4]). Simili ratione Faleriis, ubi mixtas fuisse Sabinorum religiones cum Etruscis haud obscura sunt vestigia, Junonis Quiritis in honorem virgines immolabantur [5]), cujus moris nescio an id reperiatur apud Romanos vestigium etiam posteriore aetate, quod in nuptiis sponsarum crines hasta pectebantur.

Idem de Latinis quoque valere eo probatur, quod Dianae delubrum commune illud Latinarum gentium, haud procul a lacu Albano situm, humano olim sanguine maduisse traditur [6]).

---

[3]) Livius VII, 15. cf. Kreutzer Symbolik II, p. 441; K. O. Mueller. Etrusc. II, p. 108.

[4]) Fest. ver sacrum p. 379. Liv. XXII, 9. XXXIV, 44.

[5]) Plut. Quaest. Rom. p. 314; de sacris Junonis Quiritis Faliscae disputavit K. O. Muell. Etrusc. II, 45.

[6]) Traditur enim armis et caede tantummodo sacerdotium hujus deae acquiri posse, quum is solus servus, qui sacerdotem Dianae Nemorensis, regem Nemorensem vocatum, ferro truci-

Neque obscura inveniuntur cruenti hujus moris in ritibus solemnium Romanorum vestigia. Nam in Lupercalibus celebrandis duo adolescentes adduci solebant, quorum alii sacerdotes frontes gladio cruentato contingunt, alii confestim detergunt lana lacte madefacta, Argeorum die virgines Vestales effigies hominum scirpeas in Tiberim jaciebant, in Compitalibus alii et papaveris capitibus supplicare solebant homines, sigillariorum die in sacellum Ditis oscilla quaedam pro humanis capitibus ferebant, in Lemuriis peragendis faba pro capite oblata a Larvis Manibusque se redimebant [7]). An vero alia ratione Curtii ac Decii pro urbis salute inferis capita vitamque devoverunt? Ejusmodi vero caerimoniae tunc demum institutae esse videntur, ubi illucente in animorum obscuram superstitionem eruditionis luce cruentum homicidium quidem detestari coeperunt, at, non plane deposito inferorum deorum timore, pro re ipsa symbolo rei usi sic laetioribus rit ibus haec numina sibi propitia reddere putabant.

Ut igitur ad Evandri, Saturni, Jani nomina prima rudimenta religionis mitioris, artium, literarum, et memoria aureae aetatis restringuntur, sic Hercules apud Italicas gentes abolitis cruentis sacris purum castumque lucis cultum primus instituisse traditur [8]).

Quam non a poetis fictam esse famam primum eo elucet, quod Herculis nomen apud Etruscos antiquissi-

---

daverat, in locum necati succedere posset. Strabo V, 3. p. 239. cf. Pausan. II, 271. Ovid. Fast. III, 271; Art. am. I, 260.

7) De Lupercalibus cf. Plut. vit. Rom. c. 21; de Paliliis Ovid. Fast. IV, 781; de Argeis Ovid Fast. V, 621. Fest. v. Argei; de Compitalibus Macrob. Sat. I, 7; de Sigillariorum die Macrob. Sat. I, 10; de Lemuriis Ovid. Fast. V, 436. sq.

8) Hercules in oraculi responso: Καὶ κεφαλὰς Ἀΐδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα, hoc extremum verbum non viros sed lumina interpretatus, abolevisse cruenta sacra dicitur Macrob. I, 7. Dionys. Ant. Rom. I, 38.

mum inde etiam in vicinas nationes manasse videtur. Idem vero probatur fabularum copia ad affinitatem Herculis cum Marte, Sanco Semone sive Medio Fidio, Larium denique religionibus spectantium, ita ut Macrobius optima ratione dixerit, Herculem apud pontifices eundem ac Martem haberi [9]).

Quodsi ex indole linguae Latinae, cujus omnia verba ad agriculturam pacisque artes spectantia Graecam prae se ferant originem, ad bellicam contra rem pertinentia barbarae esse stirpis videantur, recte Niebuhrius conjecit, gentes quondam barbaras ut Etruscos, Sabellos, alios e septentrionalibus Apenninis montibus ortos ad mitiores sensim se couformasse subjectorum Pelasgorum mores et instituta, non absurdum sane videtur inde colligere, etiam cruenta illa istarum nationum sacra simili ratione in humaniorem castioremque illum deorum cultum transiisse, in quo laeta agricolarum Italicorum festa niterentur.

Videmus igitur subesse quoddam veri fundamentum fabulis, quibus Pelasgi a Samothrace insula aut ex Arcadia in Italiam transtulisse Saliorum sacra dicebantur.

[9]) Nota est fabula de Potitiis ac Pinariis, de Caco et Geryonis bobus. Ab Hercule Fabii suam stirpem repetebant. Plut. vit. Fab. Max. c. 1. Cum Rhea Sylvia Hercules Aventinum progenuit Virg. Aen. VII, 659; Macrob. Sat. III, 12. »Salios. . . Herculi assignat (Virgilius scil.), quia is deus et apud pontifices idem, qui et Mars habetur«. Itaque Acca Laurentia nutrix Romuli ac Remi concubina est Herculis Macrob. Sat. I, 10. cf. Kreutzer Homer. epp p. 136; et Sancum Semonem cum Hercule confundi constat Ovid. Fast. VI, 213 sq.; Varro L. L. V, 10. p. 73. ed. Speng.. — De Hercule apud Etruscos cf. K. O. Muell. Etrusc. II, p. 279, 301. In monumentis Etruscis Herculis nomen legitur: Hercle, Hercele, Hercole Muell. Etrusc. I, p. 61. Osca lingua: Herekleis, in tab. Abellan. ibid. I, 37. Facillime autem Herculis nomen in Latinas religiones se insinuare poterat, quod habemus ibi Jovem Hercium, Herem Marteam, Heriem Junonis, Hersiliam denique, unde facile vox mehercle et nodus Herculeus derivatur.

neque immerito laudat Macrobius Virgilium et Antonium Gniphonem testes certe ejus aetatis his de rebus optimos, quod Saliorum laeta solemnia ad Herculem humanioris religionis et auctorem et numen pertinere censuerint [10]).

Nam Tiburtinos et Tusculanos habuisse Salios suos Herculi dicatos [11]) prius quam Romanos, apud Servium traditur, et apud Etruscos magno honore floruisse eorum cultum, compluribus indicatur vestigiis. Nam fabulam qua Morrius rex Vejentium hos sacerdotes instituisse dicitur, ut Alesus Neptuni filius et Faleriorum urbis conditor eorum carminibus laudaretur, bonis e fontibus haustam esse inde cognoscitur, quod sub hujus Alesi persona mixtae esse Graecae fabulae cum Italicis videntur [12]). Praeterea in antiqua gemma quum duo Salii aut ipsi aut eorum ministri ancilia portantes conspiciantur, literis Etruscis inscriptum est: Ancilium. Ex illis alterius in veste effigies equi maritimi depicta est, in alterius feminae in piscem exeuntis figura [13]), quae omnia ad Neptuni numen in tanta praesertim rei navalis quondam amplitudine haud sane obscure spectare videntur. Verum enimvero hic Alesus quoque maritimi Jovis a Pelasgis potissimum adorati filius cum Hercule caelestis Jovis filio facile confundi poterat, eponymus ille quidem heros, qualis Sabus, Romulus, Tarchon, alii. Demonstratum ergo videtur etiam Faleriis, Vejis Tusculi Salios quondam cantasse sacerdotes.

Quodsi hinc eam conclusionem facere licet: fuisse antiquitus illorum arma et carmina in compluribus Ita-

---

[10]) Macrob. Sat. III, 12.

[11]) Serv. Virg. Aen. VIII, 285.

[12]) Serv. l. c. de Morrio atque Aleso memorat. Muell. Etrusc. II, 273, mixtas esse fabulas recte vidit, quum Alesus et Agamemnonis filius et Faleriorum urbis conditor perhibeatur cf. Ovid. Fast. IV, 74. Amor. III, 13, 32.

[13]) Hanc gemmam profert Gutberl. p. 104, eandem Lanzi saggi. di lingua Etrusca. tom. II. tab. IV. No. 1.

liae urbibus iis maxime diis consecrata, qui summo apud singulas gentes florerent honore, mox praeter ea quae diximus plura afferemus argumenta, ab Etruscis sacra Saliorum cum in alias Latii urbes, tum Romam pervenisse, ibique Marti conditori atque auctori populi Romani dedicata esse. Quod a Numa factum omnes scriptores tradere non mirum est, quoniam hic ut Evander, Janus, Hercules, cruenta sacra abolevisse, et fruge deos colere primus Romanos docuisse putabatur [14].

Hucusque quae dicta sunt probantur contemplatione fabulae ab Ovidio [15]) aliisque de origine anciliorum narratae hunc in modum: Quum Jovis Elicii irati fulmina humana capita poscere viderentur, Numa a Fauno et Pico captis doloque vinctis instructus, quomodo illum e caelo elicere posset, caepis pro humanis capitibus oblatis ejus iram ita placat, ut Jupiter, pignus imperii se rege daturum pollicitus, meridie ancile inspectante populo de coelo dejiciat. Quod ne pessumdetur imperii pignus, Veturius Mamurius opifex, regis jussu undecim aliis primo simillimis fabricatis ancilibus, id sibi praemium postulat, ut ipsius nomen sacerdotum Saliorum in carminibus appelletur. Sensum igitur hujus fabulae explicare conabor.

Primum quidem Vejentium illum regem Morrium, deum Mavortem sive Mamertem sive Marmarem, ut in fratrum Arvalium versibus nominatur, Mamurium denique fabrum eandem significare rem speciemque, e nominum similitudine facile nescio an conjiciatur, praesertim quum jam veteres de persona fabri dubitarint,

---

[14]) Schol. ad Hor. Carm. I, 27: Salii sacerdotes Martis et Herculis dicebantur, qui sacra saltatibus celebrabant. Macrob. III, 12: Imo antiquissimi Salii videntur sacerdotes fuisse Herculis, donec Numa Marti eos consecravit. Plin. Hist. Nat. XVIII, 2: Numa instituit deos fruge colere et mola salsa supplicare.

[15]) Ovid. Fast. III, 385; Plut. vit. Num. 13—15.

Veterem Memoriam interpretati nomen [16]). Sed hujus rei certiora argumenta praecedente hac quaestione apparebunt. Apud Etruscos porro Jovi concilium erat additum duodecim deorum, quos Varro dicit inde Consentes appellatos, quod una et oriantur et occidant [17]). Neque hos deos, quorum consilium Jupiter adeat ad fulmina jacienda, alienos esse a Novensilibus diis, qui ipsi fulmina jaciant, docet K. O. Muellerus, cum praesertim ceteris singulis unum, Jove tria fulmina tenente, eundem quem supra numerum duodecim habeamus [18]). Utriusque vero ordinis deorum nomina quamvis non omnia constent, tamen eadem fere appellantur quae paullo infra Saliorum in carminibus invocata videbimus [19]). Quid igitur? Nonne hic nominum consensus etiam ab aliqua parte ad rerum connexum spectare videtur? Quum praeterea Etrusci, fulgura ac tonitrua cum anni temporibus sive varia aeris temperatura solis luce effecta cohaerere experti, certos e numero Novensilium deos singulis mensibus fulmina jacere, in sacris libris haberent, non dubium esse videtur, quin hi duodecim Jovis seu solis ministri, vel senatores, ut ita dicam, ad duodecim anni menses solis vicibus una omnes provocatos et confectos sint referendi.

---

16) De Mamurio Fest. v. Mamuri Veturi p. 131; Plut. vit. Num. c. 13: Οἱ δὲ οὐ Βετούριον Μαμούριον εἶναι, φασι τὸν ᾀδόμενον, ἀλλὰ Οὐετέρεμ μεμορίαμ, ὅπερ ἐστὶ, παλαιὰν μνήμην. Varro L. L. VI, p. 226 ed. Speng. Itaque Salii quod cantant Mamuri Veturi significant veterem memoriam.

17) Varro ap. Arnob. adv. gent. III, 40 de Penatibus dicit: Hos Consentes et Complices Etrusci ajunt et nominant, quod una oriantur et occidant, sex mares et totidem feminas, nominibus ignotis et miserationis parcissimae: sed eos Jovis consiliarios ac principes.

18) K. O. Muell. Etrusc. II, 84. Plin. H. N. II, 53.

19) Nomina Novensilium sunt: Jupiter, Juno, Minerva, Vejovis, Summanus, Vulcanus, Saturnus, Mars. Muell. Etr. II, p. 85.

Quod igitur Laurentius Lydus intellexit, duodecim Salios sacerdotes ad duodecim mensium similitudinem esse institutos [20]), nobis quoque confitendum, hunc parem numerum deorum, mensium, sacerdotum, ancilium nullo modo esse fortuitum. An vero sine ratione Numa novi Saliorum cultus apud Romanos auctor primus anni tempora, mutato priorum mensium ordine, ad solis cursum redegisse dicitur [21])? Quamobrem hic totius fabulae sensus esse videtur: Numam religionis auctorem accepta ab Etruscis haruspicibus fulgurali Novensilium seu Consentium deorum disciplina, qua fulmina et detrahere de coelo, et procurare, si quis esset peritus, posset, sacrificia hominum, quibus solis Romani, fulgura Jovis Elicii per Solis calorem vere ineunte denuo jactata irae signa interpretati, perniciem a suis capitibus depellere se posse putarent, abolevisse, ideoque una cum novo piandi ritu et Saliorum cultum cum eo cohaerentem in urbem introduxisse, et anni rationes ad solis cursum temperasse. Sic enim saepissime postea Romani, numinibus adversis urgentibus, ex Etruscorum disciplina opem consiliumque quaerebant [22]).

Jamvero assumpto hoc fabulae sensu ad capita praecedentis disputationis hanc habemus summam nostrae

---

[20]) Joh. Laurent. Lyd. de Mensib. IV, 2: Δυοκαίδεκα πρυτάνεις πρὸς τοῦ Νουμᾶ τοὺς καλουμένους Σαλίους ὁρισθῆναί φασιν, ὑμνοῦντας τὸν Ἰανὸν κατὰ τὸν τῶν Ἰταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν.

[21]) Plut. vit. Num. c. 18 de Numa refert: Μετεκίνησε δὲ καὶ τὴν τάξιν τῶν μηνῶν· τὸν γὰρ Μάρτιον πρῶτον ὄντα, τρίτον ἔταξε, πρῶτον δὲ τὸν Ἰανουάριον, ὃς ἦν ἑνδέκατος ἐπὶ Ῥωμύλου, δωδέκατος δὲ καὶ τελευταῖος ὁ Φεβρουάριος, ᾧ νῦν δευτέρῳ χρῶνται. Quo e loco recte Jaekel: De diis Italicis, progr. schol. Berol. 1830. p. 24. demonstrat, nullo modo decem tantum menses ante Numam Romanum annum habuisse.

[22]) Plutarchus l. c. pestilentiam causam affert, quare Numa Salios sacerdotes instituerit. At quum Jupiter Elicius ille nocentia fulmina spargens affinis sit Vedio sive Jovi infernali pestifera fulgura ipsasque pestilentias mittente, nihil interest.

ratiocinationis: Sacra Saliorum sacerdotum, cum Italicorum Pelasgorum vetustis religionibus Herculis nomine conjuncta, praeter ceteras gentes apud Etruscos-Pelasgos in Consentium deorum fulguralium et Jovis Lucetii seu duodecim mensium et Solis annui cultu niti; abhinc et in alia Italiae oppida ad summum quemque deum praecipue celebrandum excepta esse, et Romae, mitiore fulgurum piaculo una cum novo anni mensiumque ordine adoptato pro humanis victimis, Marti potissimum et veris deo et urbis tutori consecrata esse. Itaque Mamurius faber, qui undecim ancilia primo addit de coelo lapso, nihil aliud significat quam Martium, veris mensem pro naturae lege anni primum, solis calore provocatum, quem duodecim alii ejusdem generis (consentes) sequuntur. Quae non suspensa haerere, confirmabitur disputatione de Martis natura paullo infra instituenda.

Ad alterum igitur illud venimus, ut, quoniam apud rusticas nationes unius cujusque numinis indoles ac natura etiam in temporibus anni, quibus ejusmodi solemnia peraguntur, niti ab aliqua parte videtur, de his ipsis nunc agamus. Calendis Martiis arma movisse Salios quum Ovidii fastis, antiquis Calendariis, scriptorum denique locis constet, per multos dies solemnia continuata esse et Dionysius observavit, et Livius docet, quum castra stativa aliquando per dies anciliorum, quibus P. Scipio Salius religione ab exercitu disjunctus fuerit, ad Hellespontum posita esse narret [23]). Ne Festo quidem certiora tradente, diligens ac prudens Polybius [24]), per

---

23) Dion. Ant. Rom. II, 70 ἑορτὴ δ᾽αὐτῶν ἐστι περὶ τὰ Παναθήναια, τῷ καλουμένῳ Μαρτίῳ μηνὶ, δημοτελὴς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἀγομένη. cf. Liv. XXXVII, 33; Tacit. Hist. I, 89; Fest. v. Salios p. 329. quibus per omnes dies ubicunque manent, quia amplae ponuntur cenae ct.

24) Polyb. Excerpt. legat. cap. 23. Τριακονθήμερον μὴ μεταβαίνειν

triginta dies Salios sacra sua peregisse, notavit; quem verum esse numerum etiam e recensu singulorum mensis Martii dierum conspicitur. De Calendis igitur non dubium.

A. d. VII „Idus. Mart. Calendarium Constantii habet verba: Arma ancilia movent [25]).

Pridie Idus idem Calendarium: Mamuralia, eadem ni fallor, atque Equiria altera Martis hoc ipso die celebrata in campo Martio.

Idibus annae Perennae sacra, ubi et virginum Saliarium ministeria praestita verisimile est, et arma circumlata esse eo conspicitur, quod praecedente nocte in mansione servata dicuntur [26]).

A. d. XVI Cal. April. idem factum patet, quod nulla alia de causa Liberalia Agonium Martis appellata sunt.

A. d. XIV, XIII, XII, XI, X Cal. April. Quinquatrum diebus arma ancilia lustrata dicit Charisius [27]), confirmant Versus Minervii qui inter Saliares memorantur.

A. d. III. Cal. April, ubi Jani sacra celebrata, idem e Janulis qui vocantur versibus Saliorum apparet.

Quibus singulis de diebus etiamsi quis forte habuerit scrupulum, quem objicere nobis possit, tamen nulla ratione negare poterit, Martis solemnia etiam per totum mensem Martium ei consecratum, ut Polybius refert, esse continuata; nisi quis forte tricesimum primum diem callide excipere voluerit. Ceterum vespere demum hujus diei arma condita esse paullo infra apparebit e natura numinum Lunae Aventinensis et Publicae Salutis, quorum eo die sacra sunt peracta.

κατὰ τὸν καιρὸν τῆς θυσίας ἐν ᾗ ἂν χώρᾳ καταληφθῶσιν οἱ Σάλιοι οὗτοι. cf. Gutb. p. 86.

25) De eo loquitur Gutb. p, 84. 85.

26) Hac nimirum nocte in mansione apud pontificem Maximum sonarunt ancilia, ut omen infaustum necis Julii Caesaris Idibus Martiis trucidati. Gutberl. p. 99.

27) De Charisii loco I, p. 62. disserit Gutb. p. 86.

His igitur diebus Salii apicati, super tunicis versicoloribus aeneos balteos et trabeas cinctu Gabinio constrictas gestantes, atque ancilia resonantia pugionibus vel lanceis percutientes, per totam urbem, publicis privatisque locis circum altaria deorum saltationes cum cantu agebant, quibus finitis opipare coenare, et in mansionibus hunc in usum exstructis pernoctare solebant, postero die denuo incepturi, donec ancilia conderentur [28]). Quo in negotio praeerat iis Praesul qui modum saltandi dabat, Vates qui extorum, avium, fulgurum peritus carminibus caerimoniisque auguralibus fungebatur, Magister denique qui princeps omnium et ceteris canendo praeibat, et simile negotium curasse videtur, atque is qui fabulam docebat [29]). Ut vero praecentori succentores opponuntur, sic Saliorum Praesuli Salisubsules respondent [30]). Quod denique Tullus Hostilius aut bello, aut peste urgente, post captam Albam longam ad antiquos Numae Palatinos Salios duodecim alios Quirinales seu Collinos seu Agonales addidisse fertur, ita facile explicatur, ut coloniam Albanorum, quam secum duxit rex, cum aliis sacris etiam Albanos Salios suos attulisse statuamus. Itaque Albanos, qui in inscriptione quadam memorantur, Salios a Quirinalibus non diversos consentaneum est [31]).

[28]) Serv. ad Virg Aen. VIII, v. 663: Dicti Salii ideo, quod circa aras saliunt et tripudiant. cf. Schol. ad Hor. carm. IV, 1, 85. Haec omnia apud Gutberl. multis scriptorum locis accurate demonstrata. Ceterum collegium Saliorum cooptatione e patriciis adolescentibus matrimis ac patrimis sublegebatur.

[29]) Julius Capitolinus vit. Antonin. Philos. c. 4; cf. Gutberl. p. 39—41, 43—45.

[30]) Sic interpretor locum Catulli XVII, 6. ubi Salisubsuli nequaquam Martis cognomen, ceterum ut exsul et consul, sic etiam praesul et subsul minime a saltando dictus.

[31]) Agonales, Collinos, Quirinales eosdem esse, locis comparatis demonstrat Gutb. p. 29. Ibidem refutantur Pallorii et Pavorii Salii quos profert Servius Virg. Aen. VIII, 285, falsus ille, quod Tullus post bellum Albanum Pallori et Pavori templa dedi-

b) Jam vero ad alteram hujus commentationis partem transeamus, ad numina Saliaribus versibus invocata.

Primum Dionysius Salios appellat ὑμνητὰς τῶν ἐνοπλίων θεῶν [32]), quippe qui imperitus vetustorum carminum, ancilia et pugiones conspicatus, a gente praesertim bellicosissima etiam belli deos praeter ceteros coli putavit. Rectius igitur Macrobius, quem bonos auctores secutum supra vidimus, omnium caelestium laudem affirmavit a Saliis cantitatam esse praeter Venerem [33]). Sequitur inde, praeter eos quos nominatim adhibent scriptores, si non omnes caelestes, at eos certe esse in carminibus istis memoratos, qui et cum illorum natura arctissime conjuncti et Martio mense potissimum festis diebus adorati sunt. Qua ratione haec habemus numina: Mars, Minerva, Jupiter, Juno, Janus, Saturnus, Mania sive Larunda, Lucia Volaminia, de quibus scriptores referunt, et cum his: Liber, Libera, Vesta, Anna Perenna, Luna, Salus publica, id quod infra accuratius illustrabitur.

Est vero commune vinculum quo haec omnia numina constricta tenentur lux Solis ac Lunae certis paribusque vicibus annum conficiens, neque alia ratione declarari posse arbitror, quod dii Romanorum per centum et septuaginta annos ab urbe condita sine simulacris adorati dicantur [34]). Ut igitur de ratione qua haec nu-

---

cavit. Salios Augustales et Hadrianales, quos ex inscriptionibus dubiis conjecit Scaliger, jure addubitavit Gutb. p. 34—37, quum praesertim a nullo scriptore memorentur. De Antoninianis Saliis tradit Spartianus vit. Caracall. c. 2.

[32]) Dion. Halic. Ant. Rom. II, 70.

[33]) Macr. Sat. I, 12: sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla ut ceterorum caelestium laus celebratur. Cincio autem Varro consentit, affirmans, nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos vel Latinum vel Graecum fuisse.

[34]) Plut. vit. Num. c. 8. ἀλλ' ἐν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα τοῖς πρώτοις ἔτεσι ναοὺς μὲν οἰκοδομούμενοι, καὶ καλιάδας ἱερὰς ἱστῶντες

mina in vetustis carminibus illis invocata sint, judicium facere ab aliqua parte possimus, ordinem festorum mensis Martii dierum secuti de singulis, quantum ad rem necessarium videbitur, agendum est, initio ut res jubet a Marte capto.

Martis genuinam naturam facultatemque in libris de mythologia Romanorum scriptis nequaquam diligenter et accurate expressam nuper Clausenius, ut suam de carmine fratrum Arvalium sustentaret sententiam, hunc in modum describendam censuit: Martem nonnisi ferum, cruentumque esse deum, bonis eventibus perturbandis gaudentem, cujus furibundam feritatem omni piaculo deprecari et a se suisque agris defendere, aliis diis auxilio vocatis, soliti sint Romani. Quam falsissimam sententiam, perversa argumentandi ratione ortam, etymologia, vetustis comprecationibus, inscriptionibus adhibitis eo magis hic refellendam mihi esse videbam quod in ea falsam viri docti de Arvali carmine opinionem niti infra apparebit[35]). Sunt vero omnino in inquirendis deorum Italicorum religionibus haec duo capita observanda, primum ut ne Graeca admiscantur, deinde ut accurate dignoscatur quoad fieri potest, apud quas maxime Italiae gentes unum quodque numen in honore fuerit. Martem igitur ab

---

ἄγαλμα δ᾽οὐδὲν ἔμμορφον ποιούμενοι διετέλουν. cf. Varro ap. Augustin. de civ. dei IV, 31.

[35]) Hanc sententium Clausenius defendit in libello de carmine fratrum Arvalium suo p. 36, 7, 40, 42; primum p. 36, ut suam sententiam sustentet, dicit ancilia esse belli signa. At non magis saltationes Saliorum ad bellum spectant, quam Curetum Corybantumque, aut meretricum in ludis Floralibus cum armis gladiatoriis saltantium. Schol. Juvenal. satir. VI, 249; contendit idem p. 37, clamorem triumphalem magis ad bellicum quam ad agrestem deum spectare; hic vero oblitus est, ex agrestibus deorum pompis triumphos esse ortos, ideoque etiam voces clamoresque laetos istos exsultantium sacerdotum. Poetas denique quod dicit non novisse agrestem Martem, falsum est, nam bene novit Ovidius campestrem Martem, gramine ortum.

Umbris magna verecundia adoratum docent comprecationes ritusque tabularum Eugubinarum, in quibus passim Marte Grabovi, sive Marte Krapufi eum appellatum legimus [36]); idem apud Etruscos et inter Novensiles deos rutila fulmina jacientes et inter Consentes sive Complices paribus vicibus annum complentes habitus, agrestis fuisse deus, cum duodecim Larium agrestium vi ac ratione consociandus, videtur [37]); unde factum est, sine dubio, ut etiam apud Romanos et Mars et Hercules, cui et ipsi fulmina tributa sunt ab Etruscis, cum Accae Larentiae Lariumque cultu arctissime conjuncti et in sacris sint, et in fabulis [38]). Item apud Oscos floruisse Martis solemnia, e Mamertis nomine, quod e lingua Osca Festus repetendum censet [39]), perspicue intelligitur. Restat denique Sabinorum Mavors sive Mars Quirinus, quem totum integrumque ad Romanos transiisse, docent praeter ipsum cognomen lupus, picus, alia in fabulis quae reperiuntur apertissima vestigia, fulgurante Etruscorum Marte minus ut videtur vulgo Romae noto [40]).

---

[36]) In tab. Eug. VI, a. 1. Latine scripta saepe legitur: Marte grabovei seu: grabovi; in tab. IV, 6. 11. Umbrice vel potius Etrusce scripta: Marte krapufi. cf. Muell. Etrusc. II. p. 51.

[37]) Docet rem Muell. Etrusc. II, 59, 91, 105.

[38]) De fabulis jam supra animadversum. In inscript. ap. Dempst. Corp. Ant. Rom. II p. 285. legitur: »Silvano sancto Larum,« et in alio: »Silvano sancto sacro Larum,« scil. aram dedicavit. ct. Paullo infra videbimus Martem ipsum Silvanum appellari Muell. Etr. II, 165 numum profert Pergamenum nomine Caesaris Herennii inscriptum, in quo Hercules conspicitur fulmen tenens. Dubitat tamen, huuc Etruscae disciplinae esse. At quoniam vidimus Saliorum cultum Herculi et Marti consecratum cum fulgurali Etruscorum disciplina cohaerere, eidem fulminantem Herculem vindicare non dubito.

[39]) Fest. v. Mamercus. p. 130.

[40]) Tamen e rutilo Martis fulgure ac sidere facile declaratur ruber color ejus, de quo fuse errat Clausen. p. 41.

Gradivum igitur etymologi Romani aut gradientem in pugna, aut gramine ortum, aut κραδαίνοντα hastam, aut denique gravem deum interpretati[41]), ab una tantum modo parte aliqua tangere rem videntur, quum non ex intimis verbi radicibus originem ejus duxerint. Primum igitur Gradivum esse deum in pugna gradientem, quae quidem opinio obiter inspicientibus rem facillime commendatur, eo refutatur, quod Umbrica lingua idem cognomen *Grabovi* sive *Krapufi* et Marti et Jovi additum est[42]). Quamobrem melior ratio erit querenda. In verbis nimirum *germen, gramen, germinare, germanus* una latus species validae, crescentis, virentis stirpis intuentibus se offert, unde et arbores *fruges gerere* et feminae *foetus* dicuntur. Ita *Cereris* nomen a *creando (cereando)* sive *gerendo fruges* dictum eo elucet, quod etiam Janus carmine Saliari *Cerus Manus* sive *creator bonus* perhibetur. Quoniam deinde hastile ejusmodi validum germen esse oportebat, unde apud Romanas hasta pura sive donatica *graminea* est vocata, irrepente bellica significatione in verbum gerendi ortae videntur *rem gerere bello, res gestae*, bellum gerere, arma gerere. Simili ratione Graece κράδη vocatur germen seu ramus extremus qui vento facillime movetur, unde ortum est et verbum κράστις seu γράστις et κραδαίνειν de hasta jactu vibrata dictum[43]). Itaque primam syllabam nominis Gradivi nihil aliud significare censeo,

---

41) Loci in lexicis facile inveniuntur.

42) Saepius repetitum legitur in tab. Eug. IV. et VI. ap. Lanz. Sagg. di ling. Etrusc. Lassen: Beiträge zur Deutung der Eugub. Tafeln. Bonn. 1833. Rhein. Museum 1, 3. p. 376. syllabam Gra recte refert ad gramen; at bovie vel pufei false a substantivo bos derivat, totum epitheton: boves alens interpretatus cf. infra not. 43 et 44.

43) Ejusdem stirpis Germanum Gras esse videtur. Praeterea quod maxime fluctuantem in antiquissima lingua Latina reperimus consonantium C G et Q et sonum et scriptionem ac promiscuum literarum e et usum elisionemque haud raram, vix

quam: *Cerus, creator, germinans*, alteram ejus partem adjectivum esse *divum* ita ut duae Martis appellationes in unum epitheton concreverint. Rectam esse hanc etymologiam, primum indicant antiquissimae comprecationes Umbrorum, Saliorum, Arvalium sacerdotum, in quibus creberrime habemus deos duplici cognomine una appellatos velut: *fiso sansie, Dium Deus, Dea Dia, Cerus manus*, alia ejusmodi, quem usum inde ad posteriora tempora pervenisse innumera docent exempla. Deinde in tabulis Eugubinis Jovem invocatum legimus *iufei Krapufei* seu *iuve grabovi*, ubi apparet prius verbum *iuve* seu *juve* ad sequentis primam syllabam adjectum repeti, sicut in appellatione *Dius Fidius*. Quoniam igitur animadvertit K. O. Muellerus, Umbrica lingua formas *iufe* seu *iuve* et *di* (diu, dive, diuve) promiscue usitatas idem significare [44]), hac pro illa adjuncta ad syllabam *kra* seu *gra* ipsum habemus nomen *Gradivi* nostri. Qua vero ratione et Mars et Janus *Creator* divus perhibetur, eadem uterque deus *Quirinus* videtur appellatus esse.

---

dubitare possumus, quin Sabinum verbum curis (cur, cri, guerre, Krieg) ad eandem illam radicem GER etiam Germanice hastam significantem referendum sit. Affinem esse huic stirpi etiam vocem ver et inde videtur indicari, quod verba germinare et vernare plane idem significant, et eo comprobatur, quod veteres grammatici literam Q, duplicem sonum in ea pronuncianda audire sibi visi, e literis C et V compositam esse arbitrantur. Et sonu et scriptione igitur simillima GER, CVER, VER. Apparet igitur in utroque Martis cognomine Gradivo et Quirino (Curino) eandem esse stirpem. Hartungius false a gradiendo derivat (Rel. Rom. II, p. 162.) Gradivi cognomen, ideoque minus recte Gradivum bellicum, Quirinum civilem fuisse Martem arbitratur l. c. II, 171.

[44]) Muell. Etr. II. p. 51 confert cum hoc Latinum Dialis et Jupiter, Graecum Ζεύς et Διός; idem animadvertit Etr. II, p. 43. verba Deus, Jovis, Ζεύς ejusdem esse stirpis. A formis dius, divus, iufe, jovie, diuve forma bovie non magis aliena videtur, quam duis, duellum, dunus a bis, bellum, bonus.

Approbatur vero haec etymologia verbi ea qua in antiquissimis supplicationibus sacrisque cantilenis Martis nomen invocatur ratione. E quibus quum summi momenti sit comprecatio illa in lustrandis agris, ubi suovetaurilia circumaguntur, instituta, adscribam qualem Cato memoriae prodidit [45]: »Mars pater, te precor oroque, uti sies volens mihi domo familiaeque nostrae, quoius rei ergo agrum, terram fundumqe meum suovetaurilia circumagi jussi: uti tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis, defendas averruncesque: utique tu fruges, frumenta, vineta virgultaque grandire beneque evenire siris: pastores pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem valetudinemque mihi domo familiaeque nostrae. Harumce rerum ergo fundi, terrae agrique mei lustrandi lustrique faciendi ergo, sicuti dixi, macte hisce suovetaurilibus lactentibus esto.« Hic revera, nisi quis consulto verum repudiare vult, neminem fugere potest, Martem patrem volentem ac propitium, qui prohibeat ac defendat mala, servet ac duit salutem, nullo modo ut numen noxium, ferum, cruentum ab agricolis invocatum esse, quum praesertim Festus e precatione fundi lustrandi haec servarit verba: »Pesestas (pestilentiam) ··· avertas, morbum, mortem, labem, nebulam impetiginem« [46]. Eadem fere ratione Umbrorum quondam prisci sacerdotes Martem bonas preces precabantur, ut servaret populum totius Iguvii urbis, totius Iguvii nomen [47], et ut arma, viros,

[45]) Cato. R. R. 141.

[46]) Festus v. pesestas p. 210.

[47]) Muell. Etr. I, p. 54 verba tab. Eugub. VI, 6. saepius repetita: »Di Grabovie salvo seritu ocrem fisim salvam seritu totam Jiovinam, Di Grabovie salvam seritu ocrer fisier totar Jiovinar nome« sic interpretatus est: Jupiter Grabovi (mallem Deus Gradive) salvam servato . . . salvam servato totam Iguvinam (urbem). Jupiter Grabovi salvum servato . . . totius Iguvinae nomen.

pecora, castra ter piata tueretur [48]); quamobrem idem et Serfer appellari i. e. Servator et Prestota eadem ratione perhiberi videtur qua Lares Praestites [49]).

Quibus cum precibus plane consentire carmen fratrum Arvalium infra facile apparebit, iisque significari veram Martis naturam ostendunt inscriptiones quaedam, in quibus Mars ille campestris memoratur. Quid porro, quod eidem Silvani cognomen additum est? [50]) Significat videlicet Silvanus nihil aliud, quam silvam a Tiberis ostio usque ad paludes Pomptinas olim Latium tegentem cum altis quercubus pinisque, dumetis arbustisque densis, pascuis pratisque viridibus herbosisque, cujus in umbra ac silentio et picus, lupus, aper solitaria habent receptacula, et pastores pecorum greges agentes domicilium suum esse sentiunt. Quamobrem Silvanus, luporum exactor, idem sanctus pater in inscriptione quadam nomine pecudiferi, lactiferi, glandiferi, pomiferi, cannabiferi, liniferi indigetatur [51]), atque aliis in lapidibus inter ipsos Lares, rusticos nempe illos pastorum, memoratur, quia in saltibus gramineis pastores habent focum Larium ut ita dicam

---

48) Verba Tab. VI. a. 30 »arsmo, veiro, pequo, castru fri pihatu« et ibidem . . . 32 »arsmo, veiro, pequo, castruo fri salva seritu« hunc ni fallor praebent sensum. Lanzi sagg. p. 753 et 755.

49) Appellatio dei in Tab. VII. a. 1. 15: »Prestota Serfi Serfer Martier« hunc praebere sensum videtur.

50) Cato R. R. 83. Martem Silvanum appellat. De Marte Campestri cf. Orelli Corp. Inscr. No. 1355, 3496. Hic tamen Clausen. p. 45 argumentatur: campestrem deum vocari a campo ubi pugna committatur, quod una cum Minerva, Hercule, Epona memoratur. Quasi vero non Minerva agrestibus praefuisset operibus, neque Herculis numen ad solem et annum spectaret An vero latet, quomodo equorum greges in campis gramineis vagantes eorumque dea Epona cum agresti Marte cohaereat? Atvero Clausenius his omnibus in rebus praejudicatae inserviens opinioni false argumentatur.

51) Luporum exactor dicitur ap. Non. II, p. 110. Lucilii versu; cetera cognomina ap. Orell. Corp. Inscr. No. 1614.

suorum, qui a rapacium bestiarum impetu ipsos eorumque greges defendant [52]). Idem denique Mars Silvanus apud Catonem pro boum per silvarum gramina pascentium salute invocatur [53]).

Ut vero haud facile patiuntur pastores vagantes sevocari se a pascuis suis ad agricolarum laboriosa opera, ita hoc pastorale numen adversarium credebatur culturae agrorum, qua et arbores silvae securi caederentur et prata graminea aratro verterentur [54]). Quum porro pro vi atque impetu genitali in animalibus plantisque pollente obscaena quaedam protervitas sit propria agrestium deorum, et Sileni, Fauni, Silvani virginibus insidias parare in sacris fabulis traduntur, etiam Silvano puerperas vexanti mulieres sacra facere non licet [55]). Quodsi eadem de causa etiam Martis et Herculis sacris feminas interesse fas non erat [56]), demonstratum videtur, Marti cognomen Silvani ob silvestrem agrestemque illam naturam antiquitus inditum, procedente demum tempore numina secerni coepta esse.

Est enim hoc unum quo differunt, quod Silvanus pro arborum vetustarum similitudine senex, Mars Gradivus contra pro ipsius verbi significatione semper juvenis credebatur [57]). Significat enim, ut tandem conclusionem totius argumentationis faciam, Mars Gradivus vernalis solis vim almam et genitricem, et in graminibus, floribus, arboribus vigentem, et animalia ad coeundum procreandumque instigantem, quae denique vel hominum

---

[52]) Orelli Corp. Inscr. No. 1604 cf. not. 38.

[53]) Cato R. R. l. c.

[54]) Virg. Aen. VIII, 607. Silvano ... Arvorum pecorisque deo. Grat. Falisc. Cyneg. 20. et inculto Silvanus termite gaudens. cf. Varro ap. Aug. Civ. Dei VI, 9. 2.

[55]) Juvenal. Satir. Schol. VI, 467. Cato R. R. l. c.

[56]) Ovid. Fast. III. 169; Prop. IV, 9, 26; ibid. v. 69.

[57]) Virg. Georg. II, 295. Silvanumque senem Ovid. Rem. Am. III, 7, 31 juvenilia munera Martis.

stirpem juvenilem excitato abundantis vigoris, roboris, floris sensu ad amoris rixas bellique certamina incitat. Nam quod Juno Martem e contactu olfactuque florum sine conjuge peperisse Florae ministerio traditur [58]), quid aliud est, quam Lunae lucem, quae per noctis secretum silentium herbarum arborumque succum vitalem excitare et movere e radicibus subterraneis in ramulos extremos apricosque videatur, in silvis arvisque veris speciem provocare, et duodenis vicibus exactis semper hoc veris initium reducere [59]).

Haec igitur erat causa, cur aliquot etymologi Gradivum Gramine ortum interpretarentur; ita tantum plane intelligitur, quid sibi velit in re bellica corona graminea et hasta pura seu graminea fortitudinis praemium [60]); hac denique ratione pro naturali rerum ordine qui primus est veris mensis Marti consecratus neque aliunde Veris sacri dedicandi mos ortus esse potest. Nam ut omnino procedente animorum eruditione species deorum mutatur, sic Sabellicae gentes e pastoribus montanis agricolae laboriosi facti, quem ante in saltibus pascuisque religiose coluerant veris deum, eum tunc agris fertilibus segetibusque vindicarunt.

Quum deinde per nimiam hominum copiam ex antiquis sedibus in septentrionalis Italiae planities erumpere coepissent agricolae fortes, vernali tempore et aratro et

---

[58]) Ovid. Fast. V. 253.

[59]) Clausen p. 53 hanc fabulam ita explicat: Deam indignatam quod Minervam Jupiter sine ipsius munere conjugali progenuerit, Martem Florae ope peperisse, scilicet ut indignatio saevam pariat iram. Ejusmodi sententiae ex ethica sive psychologica disciplina docte et consulto depromptae quam non possint subjici antiquis fabulis, e certorum locorum natura pronatis ac concretis, luculenter docet K. O. Mueller vir ingeniosissimus libro suo: Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie.

[60]) Lexica tradunt his de rebus necessaria.

armis agere assuefacti, etiam ad belli opera vernalis dei facultatem transtulerunt, eique cruentas primitias consecrare coeperunt, donec a Pelasgicis nationibus, ut supra vidimus, mitiorem religionem acciperent. Hac de causa mirari non possumus apud Romanos in bellis continuis versatos, quibus solum aratro colendum quotannis armis esset ab hostibus vindicandum, bellicam dei facultatem rationemque ita praevaluisse sensim ut et poetae et artifices Mavortem fere semper turbidum sublataque hasta in pugnam ruentem fingerent [61]). Quid mirum denique, quod populus Romanus, legum inventor et opifex quodammodo acerrimus etiam forensi studio certaminique Martem praeposuerunt forensem [62])? Ad haec vero perpendendum et caute segregandum, quantumcunque a Graecorum Are poetae Romani ad Martem Italicum transtulerunt.

Demonstratum ergo videtur quod propositum erat: Gradivi cognomen ipsum pro etymologia verbi exprimere dei naturam, qualis e priscis comprecationibus, inscriptionibus, ritibus, fabulisque sacris cognoscatur, agrestem, inquam, et vernalem. Nec me errasse in singulis argumentationibus, hic ipse consensus firmum est testimonium.

Jam igitur ceteri dii a Saliis invocati, quorum solemnia Martio mense celebrabantur, brevi considerandum, quomodo cum principe illo deo Romanorum cohaereant.

Primum Junonis Matronalia quid sit, quod primo anciliorum die celebrata sint, quum jam ex iis quae supra dicta sunt appareat, accedit, quod apud Sabinos eodem

---

61) Tales Martis effigies in nummis et lapidibus quibusdam inspicere licet quos profert Gutberl. p. 18—20.

62) Serv. ad Virg. Aen. VIII, 3. Hartungius agnovit quidem agrestem Martis naturam, at non demonstravit qua ratione in bellicum numen mutata sit, pro ingenio Romanorum progrediente a vita agresti in civitatem bellicam.

quo Mars cognomine Quiritis appellata, similibusque sacris cruentis placata est, et apud Etruscos inter Consentes deos a scriptoribus habetur. Itaque fieri non potuit, quin Juno Lucina, quae duodenis lunae vicibus annum conficeret, Junoniis qui vocantur Saliorum versibus recoleretur, ut progeniem seu *prosapiam* plantarum, animalium, hominum uberrimam in vernalem lucem proderet, neque alienum est verbum *molucrum* Saliare, quod feminarum uteri tumorem grammatici interpretantur, ad Fluoniam Opigenamque hanc deam referre [63]).

Pro eadem religione etiam Luciam Volaminiam [64]), cui quidquid natum modo erat commendari solebat, ut tueretur, Salii comprecationibus suis propitiam reddere studebant. Quod vero Matronalium die in Vestae aede novae laureae et recentia gramina ponuntur ejusque deae ignis reficitur [65]), subtilem hujus deae connexum indicat cum Junone et Marte Virginis Vestalis amatore. Quum enim Solis vernalis calore terrae superficies hiemali glacie rigida mulceri coepit, tum etiam ab intimo Terrae gremio aeterni infernalisque ignis calor mollis et almus sursum ad plantarum radices profluere videtur, ita ut semen a vernali Marte inspersum mollito gremio virginali foveri et nutriri quodammodo possit [66]).

De Jove Elicio porro jam supra expositum est, quomodo cum Martis numine cohaereat. Cujus cognomen quo-

---

[63]) Dianam, Junonem, Lunam eandem esse cf. Varro L. L. V, 10.; lunae crescenti ac decrescenti magnam vim tributam ad foecunditatem aut augendam aut diminuendam docet Varro. R. R. I, 37. cf. Catull. Carm. 32. Lupercalia foecunditatis excitandae gratia Junoni sacrata Ovid Fast. II, 425.

[64]) Varro L. L. IX, 61 ed. O. Muell.: Videmus enim Maniam matrem Larum dici; Luciam Volaminiam Saliorum carminibus appellari.

[65]) Ovid. Fast. III, 137. sq.

[66]) Tellurem, Majam, Cererem, Vestam variis nominibus unam deam significare conspicitur sriptorum locis: Varro R. R. I, 2 sq.; Laur. Lyd. de mens. 53; Aug. Civ. Dei VII, 24.

niam dubitant antiqui scriptores[67]), unde sit deducendum, non tam fabula illa de Numa rege deum e coelo eliciente ortum, quam fabulam e cognomine etymologico artificio sacerdotum confictam esse consentaneum videtur. Itaque verbum *Elicius* a *luce* derivatum nihil aliud esse videtur, quam *Elucius*, eundem deum significans, quem lingua Osca Lucetium vocatum Saliorum carminibus celebrari cum Macrobius docet, tum ipso versuum fragmento quodam egregie confirmatur [68]). Ibi enim canunt Salii sacerdotes: se carmen piaculare fulguritis Septimontii pagis montibusque praefari, quo Jovis Lucetii fulgura ac tonitrua missa sint, ut supra vidimus Numam eam ipsam ob rem ab Etruscorum disciplina pro homicidio mitius piaculum quaesivisse, et Saliorum caerimonias instituisse. Quid igitur? Nonne in aprico est, eumdem qui ancile de coelo dejecerit deum a sacerdotibus ancilia portantibus invocari?

Ut sequamur igitur ordinem solemnium Martio mense peractorum, pridie Nonas iterum Vestae sacra fasti Romani habent, deinde ipsis Nonis templum Vejovis consecratum. Hic vero deus, cujus ad simulacrum vetustum sagittas tenens capra humano ritu immolabatur, eique inter omnes Novensiles nocentissima fulmina Etrusca disciplina tribuebantur, et communis est cum Etruscorum Februo sive Manto naturae, et, admixtis Graecis religionibus, idem atque Apollo sagittas pestiferas mittens aut ipse Pluton habetur [69]). Quodsi morbi contagiosi

---

[67]) Plut. vit. Num. c. 15 ab ἵλεω nomen ducit, in quem se Jupiter Elicius transfigurasse dicebatur. Ceterum quamvis posse crederentur Etrusci haruspices fulmen de coelo detrahere, et in quemvis locum convertere, tamen eo non declaratur, quomodo hic potissimum deus inde nomen acceperit.

[68]) Macr. I, 15; Gell. V, 12; Serv. ad Virg. Aen. IX, 570.

[69]) Vejovem eundem esse ac Mantum et Februum vide ap. Serv. Aen. X, 198; Laur. Lyd. p. 68; cf. Kreutzer Symbolik T. II. p. 456; de Manto, qui animas ad inferos deducat, disserit Muell.

vere ineunte potissimum in animalia et homines irruentes a Vedio illo sive Februo missi credebantur, fieri non potuit, quin tum maxime supplicationibus placaretur. Ut igitur Larundam sive Maniam Larium Maniumque tacitam matrem et ipsos Manes vel Manuos versibus Saliaribus appellatos scimus [70]), consentaneum est etiam Vedii nomen ab iisdem non abfuisse, quippe qui Mantus indigetatus eodem modo Manium pater ac princeps ut Jupiter Geniorum et Deorum fuisse videatur. Nam hoc pestiferas sagittas seu fulmina jaculante plurimi fiunt vernali tempore Maniae liberi, et nive glacieque de tumulis defunctorum dissoluta, superstites visitantes illos suorum renovant memoriam.

Idibus deinde notanda sunt sacra Annae Perennae, quae annum ipsum significans lunae vicibus confectum, anus fingitur juvenilis Martis amplexui se offerens, quia annus abiens deficere ac senescere, veniens revirescere atque efflorescere veris vitali aura quodammodo videtur [71]). Quamobrem ab ea precabantur homines, ut annare perennareque commode liceret, neve annonae caritas fieret ulla. Inter puellas vero obscoenos versiculos eo die fundentes saliares potissimum quae memorantur virgines conductitias hoc munere functas esse, facile conjeceris; quas quidem Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in Regia cum Pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum [72]).

Sequuntur Liberalia a. d. XVI. Cal. Aprilis celebrata. Liber apud Sabinos *Loebasius* seu *Libasius* vocatus a *libando* ut videtur, qui pro quatuor anni temporibus puerili, juvenili, virili, senili effigie fingebatur, et ubique

---

Etr. II, p. 99. De similitudine dei cum Apolline et Plutone Gell. Noct. Att. V, 12; ibid. de simulacro dei, quod quidem Plinius H. N. XVI, 79. DCLX annos stetisse existimat.

70) De his cf. indicem verbor. Saliar. v. manuos.

71) Ovid. Fast. III, 523. sq.; Macrob. Sat. I, 12.

72) Fest. v. Saliares virgines p. 379 cf. indic. verb. Sal.

agrestium Italorum laetis solemnibus adorabatur, et Romanis sacerdotibus tam prope ad Martis naturam accedere videbatur, ut Liberalium dies in libris pontificum et Saliorum *Agonium Martiale* appellaretur [73]; unde non dubium, quin ipsi Salii cognomen *Agonensium* susceperint. Itaque ubi vernalis solis calore succus e vite castigata in terram defluere, et apes mel quaesiturae in herbis vagari recentibus coeperunt, hic deus ut vitis almus inventor, qui etiam apium greges caveo coercere primum docuisset [74], laetis hilaribusque solemnibus publice recolebatur. Cujus conjux Libera, ut omnino eadem numina Italicis religionibus feminino et masculino genere finguntur, semen est in terra reconditum, donec Liberi vernalis contactu calido ex inferis in lucem provocetur [75].

Deinde a. d. XIV. Cal. Apriles incipiunt Quinquatria Minervae. Cujus deae nomen in antiquis Etruscorum monumentis *Menerfa* sive *Menrfa* scriptum eadem stirpe ortum videtur, ac Sabinum verbum *Nerio* seu *Nerine*, fortem deam Martis uxorem significans, unde et Sabina lingua *nerones* appellatos esse viros Gellius tradit [76], et apud Romanos mansit vox *nervus* et cognomen *Nero*. Ut vero haec est conjux Martis, sic Romanis in fabulis Minervae connubium a veris deo petitum narratur, a Graecis demum virginali Palladis natura immixta [77]. Quamobrem sicut supra vidimus multa deorum nomina

---

[73]) Cf. v. Agonia in ind. verb. Sal. Macrob. I, 18: Liberum esse Solem ... Liberi patris simulacra partim puerili aetate partim juvenili fingunt: praeterea barbata specie, senili quoque. id. I, 19: Martem ac Liberum unum eundemque deum esse voluerunt. cf. Virg. Georg. II, 380.

[74]) Ovid. Fast. III, 736.

[75]) Aug. de Civ. Dei IV, 11 et 16: Jovem ipsum praeesse nomine Liberi virorum seminibus, nomine Liberae feminarum.

[76]) Plaut. Mill. II, 6. 34; Ov. Fast. III, 809. Hic adhibendum Gellii totum caput XIII, 22.

[77]) Verisimile est intercessionem Annae Perennae in connubium Martis et Minervae seu Nerienis tum demum insertam esse,

composita esse, eadem ratione nescio an *Minervae* nomen duobus verbis *Manis-Nerio* compositum sit, quum praesertim appellatio *comis-fortis* sive *bona-virilis* ejus propriam indolem acu tangere videatur. Quas revera esse verbi partes, eo certe probatur, quod et in monumentis Etruscis *Minerva Menedea* id est *Manis-dea* vocatur, et ab Augustino *Mena* quaedam dea Jovis filia traditur menstruis feminarum temporibus praeesse [78]).

Connubium vero hujus deae a Marte vernali quaeri videtur, quod, ubi anno redeunte terra virescit, industriae operibusque agricolarum praesens vellera potissimum detondere et lanam pectere ahenaque tingere docet [79]). Ob hanc virtutem Minerviis Saliorum versibus deam invocatam, verba quaedam Saliaria haud obscure indicare videntur ut: *Pescia, Apica ovis, Pennatas impennatasque agnas, Promenervat.*

Accedit quod veris potissimum aequinoctio, quo manubiae Minervales tempestates movere solent, Quinquatrum dies festi Faleriis, ubi etiam Salios saltasse supra demonstratum est, et Romae cum tibiis tubisque celebrabantur [80]). Neque negligendum, quod divinationis illa lux, quae ingenium humanum ad artium obscurarum primam inventionem perducat, Minervae nomine notata, Lunae seu Junonis luce per nocturnum silentium nitente incendi quodammodo et a veteribus putabatur [81]), et nostris quoque temporibus superstitiosa quadam verecundia creditur.

---

quum Palladis virginis species cum cultu antiquae Sabinorum deae misceri coepisset. Muell. Etr. II, 50. censet, Palladis cultum a Tyrrhenis Pelasgis e Lydia et Caria translatum cum Minerva Rasenarum mixtam et confusam esse.

[78]) Cf. vasa ap. Demstr. Monet. Etr. p. XI, et August. Civ. Dei VII, 3. VII, 2. IV, 11.

[79]) Ovid. Fast. III, 817 sp.

[80]) Cf. O. Muell. Etrusc. II, 49, 50, 81 unde haec apparent.

[81]) Hoc sensu ap. Virg. Georg. I, 353 legitur: Ipse pater statuit, quid menstrua luna moneret. cf. Serv. ad Virg. Aen. XI, v. 259.

Abhinc exactis Quinquatrium diebus a. d. III Cal. Apriles Jani, Concordiae, Salutis, Pacis festus dies est. Janus igitur Solis ortus et occasus, mundi principia ac fines, omnium denique rerum introitus atque exitus tenens ideoque Patulcius sive Initiator et Clusius appellatus, idem quia mensium annique fines constituit, et duodecim aras habet consecratas, et Junonii cognomen accepit [82]). Unde apparet, quam sit affinis Junoni, Marti, Annae Perennae, ceteris de quibus egimus diis. Ut vero in omnibus sacrificiis perpetua praefatione colebatur [83]), sic vernalibus in sacris Saliorum tanto amplificatus est honore, ut Laurentius Lydus huic maxime deo sacerdotes illos putaverit consecratos esse [84]). Itaque secundum verba fragmenti alicujus Saliaris Jano Deorum Deo supplicatio atque epulum instituitur, atque ominibus per Curiones ministratis, invocatur bonus creator, ut ad coenam lectisterniumque in effatum pomoerium intret.

Eodem die Salutem, Concordiam, Pacem non plane omissas esse a Saliis, inde conjicitur, quod et horum numinum sacra ut fausta omina cum Jani Initiatoris caerimoniis conjuncta erant [85]), et vota esse facta pro salute populi Romani, cum rei natura poscit, tum compluria verba e carminibus servata perspicue demonstrant. Praeter haec numina etiam Saturnum Festus tradit in Saliaribus carminibus nominari Saturnum, videlicet a sationibus, ut si quid video-falce illa sua, quae quondam in Siciliam insulam de coelo lapsa hanc terram frugum

---

[82]) Cf. Hartung. Relig. Rom. II, 219 sq.

[83]) Macrob. Sat. I, 9: invocarique primum, cum alicui deo res divina celebratur. — ibid.: Saliorum quoque carminibus Deorum Deus canitur.

[84]) Laur. Lyd. l. c. not. 20.

[85]) Cf. Hartung. Relig. Rom. II, 223.

fertilissimam reddidisse ferebatur, recentis veris segetem crescere beneque evenire sineret [86]).

Pridie denique Calendas sacra Lunae in Aventino erant peragenda, a Junone Lucina nequaquam diversae, quo die arma Saliorum in Martis sacrario condita sunt.

Ad hanc igitur sententiam argumentatione nostra deducti sumus: Saliorum solemnia e solis lunaeque annum paris vicibus conficientis cultu, ab Etruscis praeter ceteras Italiae gentes repetendo, orta, et Marti Veris numini ceterisque diis naturalibus, qui illo redeunte denuo procreare ac praesentes esse inciperent, consecrata, ideoque cum gaudio atque ardore animorum cantibus saltationibusque expresso per totum mensem Martium celebrata esse. At quoniam verno tempore ad arma vocari Romana juventus bellicosa laetabatur, bellica sensim ac civilis festorum dierum illorum ratio ita praevalere coepit apud populum, ut, obsolescentibus praesertim priscis carminibus, genuina illa etiam apud sacerdotes in oblivionem procedente tempore abiret.

Cujus rei firmamentum est probe observandum, quod inter omnia verba Saliaria a Grammaticis servata ne unum quidem ad proelia resque bello gestas, pleraque ad res sacras et rusticas spectant. Quid praeterea quod secundum Dionysium Salii virgis ancilia pulsabant [87])? quod effigiem Salii sacerdotis opere anaglyptico elaboratam videmus, altera manu virgam, altera herbam sacram tenentem [88])? Nonne hoc quoque indicat et affirmat,

---

[86]) Cf. in Ind. verb. Sal. Pennatas impennatasque agnas, Refriva faba. Macrob. I, 8: nam et falcem volunt fabulae in Siciliam decidisse, quo sit terra ista vel maxime fertilis. Fest. v. Saturnus p. 315.

[87]) De ea re plenius agit Gutberl. p. 90—91.

[88]) Hanc effigiem depictam inveni ap. Gutberl. p. 61, qui e Bellorii Vestig. Roman. Antiquitt. p. 42, libro rarissimo se proferre dicit. Idem p. 59. et 60. nummos habet, in quibus Salii cum virgis et ancilibus conspiciuntur.

non esse haec ancilia Saliorum exsultantium belli instrumenta et signa, sed potius sacra utensilia ac symbola pelvium tympanorumque instar habenda [89])?

c) Hunc igitur argumentando consecuti consistendi circumspiciendique locum, ut ad ipsas carminum Saliarium reliquias tractandas, quae est tertia hujus commentationis pars, viam nobis muniamus, haec quatuor capita deliberationis caute firmanda erunt: Primum modus canendi saltandique, tum ipsum axamentorum nomen, deinde ea ratio qua e priscis sacerdotum sacrariis per interpretes ad nos usque pervenerint illa, postremo argumenta quibus e Festo verba Saliaria erui possint.

Primum igitur saltationes Saliorum cum Curetibus Corybantibusque saepissime comparatas non mimica ratione heroum facta esse imitatas, sed omnino incitationem motumque tantummodo sacerdotum exsultantium expressisse, e rei qualem fuisse demonstravimus natura facile conspicitur, quum praesertim nec ludi Etrusci essent mimici, et Seneca tripudium Saliorum cum motu fullonum qui fiebat ad concilianda vestimenta, sublatis pedibus et identidem alternantibus, comparaverit [90]). Hoc motu quem etiam nunc videmus in simili labore ita ter repetitum, ut tertium fortius peccusso in solo alter pes aliquantum diutius stet, facile effici poterat rhythmus anapaesticus quidam, quem omnibus ejusmodi exagitatis sacerdotum saltationibus proprium esse scimus. Quodsi mox simul omnes, mox per vices celeriter et confertim

---

[89]) Quanto vero floruerit honore Saliorum cultus, apparet vel eo quod principes civitatis ut Scipiones, Antonini imperatores, quin sacerdotum saltantium munere fungerentur, nequaquam recusabant. Cf. Jul. Capitolin. vit. Antonin. phil. 41.

[90]) Seneca Ep. XV. Hor. Carm. IV, 1: In morem Salium ter quatient humum. Fest. p. 363: Tripudium cernitur in auspiciis in exsultatione tripudiantium pullorum, dictum a terra pavienda, nam pavire est ferire. cf. Fest. v. puls ... puvire enim ferire est.

orbes circum altaria implicabant et evolvebant, eodem rhythmo ancilia pulsantes [91]), fieri quidem poterat, ut ictus versuum cum fortioribus quibusdam tibiarum sonis, pedum saltibus, pugionum plagis consonarent ab aliqua parte, at de artificioso concentu cyclici Doriensium chori nullo modo est cogitandum. Omnino vero, quemadmodum cantus et tibiae cum saltationibus conjunctae fuerint aut invicem se exceperint, quum non certiora indicent vestigia, id tantum statuendum videtur, in Saliorum cantilenis ut in Umbricis et Arvalibus ter repetitas esse praeeunte praecentore, succinente primum senum tum juvenum choro solemnes deorum invocationes [92]). Haec vero exsultandi canendique ratio ipsis reliquiis quibusdam Saliaribus haud obscure indicari videtur, quas infra in disceptionem vocabimus.

Nunc vero quid est, quod solemnes illae sacerdotum comprecationes *axamenta* appellantur? Dubitant enim et antiqui et recentiores scriptores, utrum ab *axandi* i. e. nominandi verbo, an ab *axibus* in quibus perscripta fuerint illa carmina nomen traxerint [93]). Qua de re quid sit statuendum, planum fit comparatis glossis Pauli Diaconi quibusdam, quas ex ipsis Saliorum cantilenis depromptas esse egregie conjecit Th. Bergkius [94]), ego certis

---

[91]) Hunc in modum Saliorum saltationes descriptae ap. Plut. vit. Num. c. 13. et Dionys. Ant. Rom. II, 70. Complures locos collegit Gutberl. p. 107. sq.

[92]) De his duobus choris tradit Virgilius Aen. VIII, 285:
Hic juvenum chorus, ille senum, qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt...
ubi de Tiburtinis Salii poeta loqui videtur. Ceterum quae sequuntur ibidem mera imaginandi vi poetae conficta sunt secundum Graecas fabulas.

[93]) Fest. v. axamenta p. 3 cum not. K. O. Muell.; ibid v. axis. Recentiorum sententias vide ap. Gutb. p. 114. sq.

[94]) Th. Bergk Recens. Fest. ed. O. Muell. Hall. Litteraturz. 1842 No. 104, p. 224. Falsam etymologiam ego secutus sum in Diss. inaugur. p. 37.

argumentis confido me demonstrare posse. Legitur Paul. Diac. p. 25 ed. K. O. Muell.: »*Axe agglomerati*, universi stantes id est cohortibus aut legionibus.« Ibid. p. 26: »*Ambaxioque circumeuntes*, catervatim.« p. 28: »*Adaxint* adegerint.« p. 3: »*Axitiosi* factiosi dicebantur, quum plures quid *una agerent* facerentve. *Axit* autem antiquos dixisse pro *egerit* manifestum est; unde *axites* mulieres sive viri dicebantur *una agentes*.« Harum igitur vocum neminem fugere potest et stirpem et sensum a verbo *agendi* derivandum, unde etiam stipes teres, circa quem vota vertitur seu agitur, (v. axis p. 3) *axis* appellari poterat; nec latet profecto, glossas *Axe agglomerati* et *Ambaxioque circumeuntes* significare rotantem exsultationum motum, seu saltationum orbes circum altaria deorum implicatos explicatosque, quos Salii *una agere (axites)* soliti sint. Cum his vero conjunctis deorum invocationibus, *axandi* verbum singularem facile suscepit nominandi sensum (h. v. Paull. p. 8), quum praesertim et verba agere, facere, fieri ut Graeca ἔρδειν, ῥέζειν de sacris praegnantius omnino dicantur, et promiscuo fuisse usu Festus tradat verba *orare* et *agere* apud antiquos (v. Orare p. 198). Quamobrem *axamenta* i. e. *agitamenta* seu antiquiore scriptione *acitamenta* sunt comprecationes illae deorum saltando institutae, et ab ipsis nominibus eorum denominatae velut Junonii, Minervii, Januli versus [95]). Quodsi apud Paullum legimus p. 114: »*Indigitanto*, imprecanto,« et ibidem: »*Indigitamenta*, incantamenta vel indicia,« non dubium videtur, quin *axare* (*acitare agitare*)

---

95) Paul. v. axamenta dicebantur carmina Saliaria, quae a Saliis sacerdotibus canebantur in universos omnes composita. Nam in deos singulos versus facti a nominibus eorum appellabantur, ut Januli, Junonii, Minervii. Muell. pro corrupto homines scripsit: deos; Hartung. Rel. Rom. p. 43: semones. At de his a Saliis memoratum, nullum est indicium. Scripsi: omnes, quod haud raro conjunctum est cum universi. Plaut. Trin. IV, 3, 40.

et stirpe et sensu idem sit atque *indigitare*, ideoque *axamenta* ut *indigitamenta* fuerint invocationes istae deorum statutae solemnesque cum enarratione et virtutum et cognominum rite editae [96]).

Ceterum perscripta fuisse haec axamenta prisca cum ritibus caerimoniisque Saliorum ea ratione, quam tabulae Eugubinae et monumenta Arvalium sacerdotum prae se ferant, in tabulis seu libris Saliorum de quibus Varro loquitur, nullam habere dubitationem videtur.

Et pro tanta tamque scrupulosa sacerdotum religione, qua ne minutissima quidem de singulis comprecationum verbis mutari fas putabatur, fieri posse minime videtur, ut Salii axamenta, quorum sensum procedente tempore vix ipsi intelligerent [97]), per singula verba syllabasque accurate memoria tenerent, nullo exstante scripto monumento, ad quod confugere possent. Quo vero tempore scripta sint illa quamvis discerni non possit, tamen, ut sunt rituales libri antiquissima apud Romanos literarum monumenta, etiam axamenta sacra jam priscis temporibus literis mandata esse, haud sine ratione revera nescio an existimetur.

Ipsa oratio horum carminum non mansisset ab ultima antiquitate immota, nisi aeneis lapideisve monumentis fixa fuisset. Namque tam absconditae vetustatis speciem vel antiquis scriptoribus prae se ferre videbatur [98]), ut verbum obsoletum si reprehendere vellent, Saliare ap-

---

[96]) Hanc de indigitamentis sententiam subtiliter demonstravit Ambrosch: De libris Relig. Rom. Bonn. 1843. p. 35 sq.

[97]) Quint. Inst. Orat. I, 6, 40: Saliorum carmina vix ipsis sacerdotibus suis satis intellecta, sed illa mutari vetat religio, et consecratis utendum est.

[98]) Symmach. Epp. III, 44: si tibi vetustatis tantus est amor, pari studio in verba prisca redeamus, quibus Salii canunt, augures avem consulunt et decemviri tabulas condiderunt. Sidon. Apollin. VIII, 16. Unde enim nobis illud loquendi tetricum

pellarent, et in vocabulis explanandis veteres interpretes plane incerti haererent.

At jacuerunt haec veneranda priscae linguae, poesis, religionis monumenta in scriniis sacerdotum recondita, donec a Cratetis inde tempore primi Romanorum grammatici ad explicanda carmina antiqua Latina se applicare, et Cato ac Varro de vetustate oblivione obruta edocere coeperunt aequales. Tum igitur L. Aelius Stilo grammaticus, Ciceronis ac Varronis praeceptor, cui equiti Romano vel aditus ad sacerdotum arcana pateret, scripsit *Explanationem carminum Saliarium*, qua quid in explicandis primis Romanorum verbis poëticis profecerit, Varro libere profitetur (L. L. VII, 2. p. 117. ed. K. O. Muell.): »Aelii hominis in primo in literis Latinis exercitati interpretationem carminum Saliarium videbis et exili litera expeditam, et praeterita obscura multa.« Huic vero peritissimo existimatori eo magis fides est habenda, quum Festi glossae satis superque doceant, quam incertae fuerint constantique ratione carentes plerumque et Aelii et aliorum grammaticorum de stirpe ac significatione priscorum obsoletorumque verborum sententiae. Nam praeter Varronem, qui ex Aelii Stilonis commentario exscriptos aliquot versus axamentorum servavit, etiam Verrius Flaccus diligenter ex eodem fonte hausit, quem tamen etiam alios ejusdem rei interpretes secutum esse, hac demonstrari poterit argumentatione.

Primum ubicunque apud Paullum Diaconum et Festum nomen Aelii scriptum invenimus ad verba sacra prisca interpretanda, consentaneum est etiamsi non ipsis verbis indicetur vel aliunde appareat, ex Aelii carminum Saliarium explanatione ista deprompta esse, dummodo

---

genus ab perantiquum? Unde illa verba Saliaria vel sibyllina vel Sabinis abusque Curibus accita? quae magistris plerumque reticentibus promptius Feciales aliquis, aut Flamen, aut veternosus legalium quaestionum aenigmatista patefecerit.

et antiquissimae linguae speciem prae se ferre, et in rationem axamentorum supra adumbratam cadere ab aliqua parte videantur [99]). Praeter hunc Aelium quod Bergkius conjecit etiam Cloatium et Aurelium Opilium grammaticos commentariis illustrasse obscura illa carmina, non inveni equidem argumenta, quibus separatos libros eo nomine inscriptos ab iis editos esse demonstrare possem; at ratione habita locorum, ubi aut uterque eorum, aut alteruter una cum L. Aelio in sacrorum auguraliumque verborum interpretationibus appellatur [100]), et comparatis glossis quibusdam, ubi aut uterque, aut alteruter sine Aelio legitur [101]), planum fit hosce grammaticos libros qualescunque de rebus sacris composuisse, quibus verba Saliaria ut alia scripta religionis monumenta comprehenderent.

Ad haec vero alia accedit ratio. Nam et Julii Capitolini loco [102]) et ipsis axamentorum versibus integris conspicitur, compluria habuisse Salios carmina augurationis, quae fieri non poterat, quin in sacris eorum libris perscripta essent. Est autem apud Festum p. 270 haec glossa scripta: »Rumentum in auguralibus significare videtur interruptio abruptiove: dum verba *ancilibus movendis* praeit, si interim avis canerit (sinistra, obnunciat)o,

---

[99]) Hoc animadvertere licet in glossis: Manias. p. 129. Monstrum. p. 138. Nusciciosum. p. 173. Obstitum p. 193. Refriva faba p. 277. Salias virgines. p. 141. collatis aliis quibusdam ubi: verbum Saliare appositum est: Manuos. p. 146. Molucrum. p. 141. Pennatas impennatasque agnas p. 210—211. Pescia p. 210.

[100]) Manuos. p. 146 cum not. Muell. Molucrum p. 141. Nusciciosum. p. 173. Obstitum p. 193. Subuculam. p. 309.

[101]) Manues. p, 147 (cf. v. Manuos) Tesca. p. 356.

[102]) Jul. Capit. vit. Antonin. phil. 41. Fuit enim (Antoninus) in eo sacerdotio (Saliari) et Praesul et Vates et Magister, et multos inauguravit et exauguravit nemine proeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset.

augurio rumentum estod;« quae quidem glossa demonstrat etiam in auguralibus libris Saliaria quaedam auguria perscripta fuisse, quum praesertim in glossis duabus legantur verba: in carmine Saliari et augurali [103]). Hoc bene perpenso qui comparaverit locos, ubi libri augurales aut nullo certo auctore, aut M. Valerii Messalae vel Appii Claudii Pulchri nomine notati adhibentur [104]), concedet sane, in libris auguralibus Messalae, Claudii, aliorum a Verrio lectis inter cetera augurationum carmina etiam Saliaria quaedam perscripta fuisse eadem ratione ac Suovetaurilium ibidem seu fundus lustrandi comprecationem [105]).

Quid porro? Quum semel Aelius Stilo antiquissima illa monumenta literarum Latinarum ad lucem protraxisset, nonne consentaneum est etiam Veranium in libro *priscarum vocum*, Atejum Philologum in libro *Glossematum*, quos Verrius Flaccus evolvit, eodem modo ut Cincium, qui de Salaribus virginibus in libro *de verbis priscis* suo egit, inter cetera verba antiqua et obsoleta etiam Saliaria explanasse [106])? An vero alia ratione explicari potest, quid sit, quod jam Verrius Flaccus sententias maxime inter se discrepantes variorum auctorum de axamentorum singulis verbis legerit?

---

103) Glossa: rumentum sic facile suppletur. Duas glossas: Sesopia et Sonivium, Fest. p. 290., Ursinius bene sic restituit.

104) Cf. Minora itemque majora auspicia (Messala) p. 157. Marspedis (Messala) p. 161. Inebrae aves p. 109. Negumate p. 165. Negritu. p. 165. Obstinet p. 197. Oscines (App. Claudius) p. 197. cf. not. Muell. Posimerium p. 259. sq. Paludati p. 253 Quinque genera auguriorum. p. 261. Sonivio. p. 290. Sonivium tripudium. (Appius Pulcher) p. 297. Sollistinum. p. 297. Supervaganea avis. p. 305. Sarte p. 322. Spectio p. 333. Voisgram avem. p. 370. Vernisera. p. 379. cf. Muell. not.

105) Cf. v. pesestas p. 210. et v. Marspedis p. 161. cum Muell. emendat. lect.

106) Veranium vide: v. Mille, p. 158. Atejum: v. Ocrem p. 181. Cincium: v. Salias virgines p. 379.

Cum his vero etiam Octavium Hersenium libro de *sacris Saliaribus Tiburtium* edito, quem Macrobius legit, verisimile est non plane neglexisse similia et affinia — ni fallor — et horum et Romanorum carmina; quamquam hoc uno tantummodo loco hujus libri mentio fit. In scholio denique veterum Virgilii interpretum, quod Th. Bergkius mihi indicavit, mancum illud quidem et corruptissimum, haec scripta legimus: »Sabidius Commentar. XII. (vers.) salior.[107]);« ubi recte legisse Maium in codice libri titulum eo confirmatur, quod res de qua ibi agitur, *tripudium* nimirum *sonivium*, eadem est quae Saliaribus verbis *Sonivio*, *Sonivium tripudium*, *Polteo* indicatur; ita ut verbum hujusmodi Saliare hoc scholio Sabidius ille interpretatus esse videatur. At enim vel de hoc auctore ejusque commentario nihil praeterea com-

---

[107]) Vett. Virgil. Interpr. ed. Angelo Mai. Mediol. 1818 ad Aen. X. v. 241. p. 67. Locum corruptissimum sic restituo: »Ut in exercitu (summu)m imp(eri)umque erat, in tabernaculo in sella (in m)ensa auspicabatur coram exercitu: pullis e cavea liberatis (in lo)cum circum sellam suam, (dicebat): obnuntiato, a(ugurium)ullum (solisti)mum quisquis viderit, Tripudi(a sona)ntia. Silentio deinde facto, residebat et dicebat: Equites et pedites nomenque Latinum (socia)le, cincti, armati, paludati (qui) estis secuti, (augurium) dum sinistrum solistimum quisquis vestrum viderit, (obnuntiato.) Deinde (augurio) obnuntiato, dicebat: (Dii)uti placet a legionibus invocarentur, faciantque, quod ipsi sperabit(e) r(emqu)e imp(eriumque) fidemque m(eam) ducat, salutareque siet viro, quocum proelium ineant. Deinde exercitu in aciem educto iterum (auspicaba)tur. Interim ea mora ntebantur qui testamenta in procinctu facere volebant.« — Qui operae pretium habet Maium inspicere, videbit me, praeterquam quod expleverim lacunas, cancellis a me circumscriptas, vix paucas literas mutasse. Scripsi pro (p)ullum: ullum pro (ipse) sperabit: ipsi sperabit(e), pro: Si et viro suo caproelium: siet viro quocum proelium. Ceterum non temere me supplevisse, et e repetitis ipsius loci verbis et Festi glossis, ubi de rebus auguralibus sermo est, collatis patet. cf. not. 104.

memoratum inveni. Posterioris vero aetatis scriptores qui de axamentorum singulis verbis referunt, ut Quinctilianus, Nonius, Macrobius, Symmachus, Sidonius Apollinaris, Isidorus, non satis liquet, quibus e fontibus hauserint; quamquam Macrobium carmina Saliorum legisse, duo Saturnalium loci cum duobus fragmentis axamentorum accurate consentientes affirmare videntur. Atque idem de Terentio Scauro quoque valere, conspicitur e fragmento quodam apud hunc grammaticum servato, neque ignota fuisse Velio Longio ipsa axamenta inde conjecerim, quod literam *z* in iis adhibitam ille tradit, Florentini certe quidem Varronis codicis scriptio de qua infra videbimus affirmat.

Jam vero ratione habita et saltationum Saliarium et axamentorum nominis et interpretum antiquorum, ad quartum illud venio, ut demonstrem, quo argumentationis genere fretus aliquot Festi glossas Saliaribus carminibus vindicaverim, quosque auctores in ea re secutus sim.

Observavit igitur de Festo K. O. Muellerus [108]), hunc ab eo usurpatum esse ordinem glossarum, ut complures earum ex uno eodemque scriptore vel literarum monumento depromptas deinceps poneret, primae tantummodo verborum literae ratione habita. Sic in quibusdam plagulis Paulli et Festi numerum glossarum deinceps invenimus scriptum et ad res sacras spectantium, et speciem priscae obsoletaeque linguae Latinae prae se ferentium, quarum pars aut ipsius scriptoris verbis vel aliorum testimoniis Saliari carmini vindicatur, aut Aelii, Cloatii, Opilii nominibus vel formula hujusmodi: *antiqui dicebant*, seu: *apud antiquos* apposita explicatur: aliae contra ejusmodi additamentis plane carent. Glossae hunc in modum scriptae axamentis una omnes adjudicandae esse jure videntur, idque eo majore jure, ubi praeterea in augura-

---

[108]) Muell. Praefat. ad Fest. p. XVII. et XXIX.

libus de quibus supra dictum est libris leguntur, aut cum stirpe et genere verborum Saliarium conspirant, aut denique cum universa ratione horum carminum apte conveniunt.

Quod quidem cadere videmus in glossas p. 205 apud Festum scriptas: *Praeceptat* (*in Saliari carmine*), *Pa pro parte* (*in Sal. carm.*) *Promenervat. Praedotiont. Prospices, Pesnis* (*dicebant*) *Polteo. Polet* (*antiqui*). *Plisima. Pretet tremonti. Perfines. Promerion. Priviclio es. Petilam suram. Pilumnoe poploe* (*carm. Sal.*) *Praepetes aves* (*?*); quae omnia verba recte K. O. Muellerum axamentorum reliquias habere, et Th. Bergkio probatum est, et a me separatis quibusdam argumentis in recensu singulorum verborum infra posito confirmari poterit. Atque id ipsum judicandum statuit Th. Bergkius de glossis apud Paullum p. 25 lectis: *Ae* (*antiqui*) *Auceta. Abercet. Advosem. Axe agglomerati. Aeruma. Afvolunt. Astasint. Ambaxioque circumeuntes. Apor. Amosio. Antiquum* (*veteres*). Hae enim glossae sine fontium notitia a Paullo scriptae praeter obsoletae antiquitatis speciem caerimonias, comprecationes, exsultationes Saliorum certissime indicant; id quod et nomine *axamentorum* supra explicato cognoscitur, et singulis verbis infra accuratius comparatis planum fiet. Quidni censeamus igitur, etiam quae praecedat his vocabulis glossam: *Apica ovis* pari ratione pertinere ad Salios illos *apicatos?* Quamobrem illorum virorum rationem auctoritatemque secutus non dubito Saliares ducere etiam has Paulli glossas (p. 79—80): *Expreta* (*antiqui*). *Excudere. Explorare* (*antiquos*). *Expapillato brachio. Exbures. Exfir* (*unde adhuc manet ctt.*.) *Exscendere. Experitos. Explenunt. Exdutae. Excipuum. Exciet. Expatare. Exdecimata. Expectorat* [109]). *Effata. Exporgere. Exoletus. Exan-*

[109]) Duas glossas interpositas p. 80: Experrectus, Excidionem partes fuisse glossarum: Experrectus, Excudere p. 79. scriptarum, a Paullo demum negligenter discerptas, comparatio facile docet.

clare. Namque etiamsi unum postremum verbum *Exanclare* Quinctiliani testimonio Saliare perhibetur; tamen cetera omnia et vetustissima, rarissima, imo ἅπαξ λεγόμενα in literis Latinis sunt, et singulos solemnis sacrificii actus caerimoniasque fere omnes accurate adumbrare videntur. Quid igitur? Nonne ex eodem fonte quo *exanclare* repetenda putabimus, quum praesertim sensus eorum et cum fragmentis integris et cum verbis singulis Saliaribus egregie congruat? At enim vel de his habeo singulis, quod ad hanc communem argumentationem addam.

In universum igitur haec judicavi praeter certos scriptorum locos indicia reliquiarum Saliarium: nomen Aelii, Cloatii, Opilii, auguralium scriptorum, locum et ordinem glossarum apud Festum et Paullum Diaconum quem vidimus, speciem vetustam verborum, stirpes denique et sensus eorum ad axamentorum certas reliquias quadrantes. Ad has igitur ipsas probe considerandas vocatur nostra commentatio.

Primum igitur duo Varronis loci, ubi reliquiae carminum Saliarium servatae sunt, magnam incerta et manca codicum scriptione dubitationem habent, ideoque, si quid video, erit hoc mihi concedendum, ut, quoniam non omnia possint in ejusmodi rebus vetustate paene sepultis mathematica ratione demonstrari, tamquam ultimum quoddam refugium mihi integra maneat aliqua conjicienda potestas, ratione illa quidem caute religioseque temperata. Atque in hoc genere vel maximo mihi fuit adjumento, quod vir clarissimus C. Lachmannus nuper mecum communicavit, e Niebuhrianis excerptis sibi relictis satis superque apparere, unum esse Varronis antiquum codicem Florentinum, cetera omnia apographa quinto decimo saeculo facta; id quod nec Spengelio neque O. Muellero satis in promptu esse potuerit. Lachmanni igitur auctoritate atque acumine fretus, ab illius codicis singulis literis vix ullo loco discedendum ratus, sensum singulorum versuum Saliarium enucleare conabor,

eorumque primum qui est apud Varronem L. L. VII, 3. p. 130. ed. Muell. (Speng. p. 314).

No. 7. *Divum émpta cante, divum déo supplicánte.* ad quem versum interpretandum editores veteres pro *empta* temere *exta* posuerunt. At quid sit *empta*, e Paullo facile apparet p. 4.: »*Abemito* significat demito vel auferto. *Emere* enim antiqui dicebant pro accipere.« cf. Fest. p. 270. v. »Redemptores · · · *Emere*, quod nunc est mercari, antiqui accipiebant pro *sumere*;« atque hanc verbi significationem comprobant composita *perimere*, *interimere*, *eximere*.

Quamobrem *Empta divum* in sacris eadem esse videntur atque *Excipua* h. e. quae excipiuntur et *Exdecimata* h. e. electa vel *Ablegmina*, partes extorum quae diis immolantur. Praeterea Janum hic invocari nomine *Divum deo* docet Macrobius Sat. I, 9. »Saliorum quoque antiquissimis carminibus *Deorum Deus* canitur;« et *supplicante* pro *supplice cante* seu *canite* est compositum a vetusto sermone minime alienum (Gutb. p. 122 et 130). Hunc igitur sensum versus indicat: Salii supplicationem deorum omnium inter solemnia sacrificia instituentes primum Jano ut fieri solet praefantur, et inter pia dona ceteris diis exdecimanda ac porrigenda primum illi omina et ablegmina cum carmine rite initiant.

Alterum est axamentorum fragmentum ejusdem Varronis loco, quem omnium maxime obscurum ac corruptum codicum scriptores decimi quinti saeculi et editores veteres in Florentino aegre lectum minime intelligentes, varia ratione mutarunt, Scaliger et Turnebus nimia conjiciendi licentia restituere et explicare conati sunt, Spengelius denique et K. O. Muellerus ad fidem Florentini maxime et Havniensis codicis redigere studuerunt. Rescripsit vero mihi Lachmannus quae sunt in Florentino hunc in modum teste Lagomarsinio scripta:

»In multis verbis in quod antiqui dicebant S. postea dicunt R, ut in carmine Saliorum sunt haec:

Cozeulodori eso . omina vero adpatula coemisse
Jancusianes duonus ceruses . dunus ianus
ue uet pom melios eum recum····«

(Hic spatium dimidii et quatuor versuum relictum in Florentino exemplari)

»···fedesum . federum . plusima . plurima . meliosem. meliorem . asenam . arenam . janitos . janitor.« Quo loco quas habemus reliquias Saliares vix paucis literarum lineamentis immutatis sic restituo, ut et justi Saturnii efficiantur, et sensus integer sanusque, quantum ego videre possum, subsit:

No. 8. *Cózeulo dorí éso·— Omina véro*
Ád patula coemísse Jáni cusiánes;
Duónus ceruses, dúnús Janus venét
Pómmelios; eúm recúm········

Itaque brevi commentariolo demonstrandum erit primum, quid significent singula verba.

1) *Cozeulo* . Florentini scriptionem non mutavi, quoniam Velius Longus habet p. 2217: »Mihi videtur nec aliena sermoni fuisse (z litera) cum inveniatur in carmine Saliari.« Est autem *cozeulum* ut *coceulum* seu *coculum* olla in qua exta *coquebantur*. Fest. v. Aulas p. 23: »Itaque *aulicocia* exta, quae in *ollis coquebantur*, dicebant; id est elixa.« Hac vero de re agi in carmine, comprobatur significatione verbi empta, et toto versu modo explicato.

2) *Dori* aut antiquo sermone pro dari dictum ut *Fovii* pro *Fabii*, *Dolobella* pro *Dolabella* (cf. Schneider. Gram. Lat. I, p. 10), quum praesertim alter infinitivus *coemisse* sequatur, aut scriptio corrupta videtur. Ceterum proprium habere suum sensum in sacris *exta dare* notum est.

3) *Eso* pro *esom* (*esō*) significare videtur cibum ita ut hic sit verborum sensus: *esum* (h. e. cibum sacrum) *in coceulum dare*, h. e. imponere. Eodem enim sensu inter caerimonias tabularum Eugubinarum saepius scriptum videtur: *esunu*, *esuk*, *esune*, et eadem ratione in

Scipionum monumentis litera *m* accucativi saepissime omissa est.

4) *Omina* quid significent, declarant Ovidii versus e colloquio ficto poetae cum Jano deprompti Ov. Fast. I, 135:

»Quid vult palma sibi rugosaque carica dixi,
Et data sub nives candida mella favo?
Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur,«

e quibus apparet vel ipsa *mella, fruges, poma, pultem, subuculam, praelibationes,* alia ejusmodi Jano, cui in omnibus sacrificiis praefari solerent, data appellari posse *omina,* quum praesertim homines initio anni inter solemnia Jani Initiatoris aureatas caricas, poma, mella, alias nugas vel strenas boni ominis causa sibi invicem donare solerent. Cf. Ovid. Fast. I, 185. Hartung. Rel. Rom. II, 22.

5) *Patula*, consentaneum est vocari templa Jani *Patulcii*, ejus nimirum dei per quem

»Templa *patent* auresque deum.«

Ov. Fast. I, 180 ib. 118, Macr. Sat. I. 9, ejusque templi *portae* et ipsae fere semper *patent*; ut e contrario dicuntur *penetralia Vestae* et *Penatium* pro natura horum numinum.

6) *Coemisse* a *coemendi* verbo deducendum nec cum Scaligero *comesse* scribendum, docet vocis *empta* in eodem carmine significatio, unde patet *coimere* idem esse ac *concipere, colligere, conferre.* Quodsi legimus apud Paulum p. 37: »*Collativum* sacrificium dicitur quod ex *collatione* offertur,« non dubium videtur, quin haec ipsa sit res de qua versu nostro agatur.

7) *Jani* pro *Jan* aliqui codicum scriptores recte emendarunt (cf. edd. Speng. et Muell.)

8) *Cusianes* esse *Curiones* Scaliger et Turnebus viderunt (cf. Gutb. p. 133. sq.) Consentaneum vero erat Jano Initiatori atque *Curiatio,* quippe qui triginta quondam *curiis* praeesset, Calendis Martiis initio illo vetusti Romanorum anni, quo die et *curia* antiqua novis frondibus ornaretur, et ancilia moverentur, a Saliis *pro ipsis curiis sacrificium collativum offerri,* ideoque a *curionibus*

hostias, poma, fruges, mella, vinum, alia ejusmodi quae praebuissent *curiales*, ominis causa ad epulas lectisterniumque in templum *conferri*.

9) *Duonus* pro *bonus* dicitur ut *duis* pro *bis*, *duellum* pro *bellum*, *duidens* pro *bidens*. (cf. Schneid. Gram. Lat. p. 228.); brevior deinde verbi forma est *dunus*.

10) *Ceruses* seu *Cerures* ab adjectivo *Cerus* derivat Jos. Scaliger ut gnarures a gnarus, quoniam s pro r in carmine Saliari scriptum Varro docet. Esse autem *Cerum Creatorem* supra vidimus (cf. Gutb. p. 134).

11) *Venet*, ut codex Havn. emendavit pro *ve vet*, futurum videtur, sicut in eodem carmine legebatur *perfines* pro *perfinies*. Cf. h. v. Indic. verb. Saliar.

12) *Pommelios* scriptum censeo pro *pomerius* seu *pom-merius* (*post-merius*) ut *caeluleus* pro *caeruleus*, *Latialis* pro *Latiaris*, *proelialis* pro *proeliaris* (cf. Schneid. Gramm. Lat. I, p. 298). Ut vero ad adjectivi illius neutrum genus *pomerium* supplendum est *spatium*, sic etiam masculino genere *pomerius* seu *pommelios* vocari poterat *locus* effatus post murum. Hac enim de re agi in *Janulis* Saliorum versibus, et natura dei *pomerii januas* vel portas tenentis, et verba Saliaria *pomerion* et *perfines* ad nuncupata et designata augurio urbis loca spectantia (cf. Indic. verb. Sal.) indicant. Quid igitur? Nonne adjectivum *pommelios* ad ipsum *pomerii Janitorem* facile refertur? Quamobrem verba: *Janus venet pommelios* interpretor: *Janus veniet*, *ita ut pomerius sit*, h. e. Janus pomerium intrabit, et ob proprium munus custodiendi urbis pomerii etiam *ipsum deum* a priscis sacerdotibus *Pomerium* seu *Pommeliom* indigitatum esse existimo.

13) *Eum recum* . . . quid sit, quamvis pro certo affirmari non possit, tamen facile suppletur *recumbentem*, quoniam consentaneum est certe, a Jani epulis Saliaribus etiam *lectisternium* non abfuisse dei, ideoque de *recumbendo* a coena in triclinio sermonem esse.

Ex his cum sensus versuum nostrorum satis appareat, qua ratione cum priore illo versu cohaereant, infra facile demonstrabitur.

Tertium fragmentum Saliare apud Terentium Scaurum scriptum invenimus (p. 2261 ed. Putsch.) ubi haec sunt verba: »Antiqui pro adverbio quom *cume* dicebant, ut Numa in Saliari carmine:

Cume ponas Leucesiae praetexere monti quotibet cunei de his cum tonarem.«

quae quidem verba obscura, neque a Gutberlethio, neque ab Hermanno, Grotefendio, Zellio viris doctissimis ulla interpretatione illustrata [110]), levissima literarum mutatione in sanum sensum restitui posse videntur.

Pro *ponas* igitur scribo *tonas*, antiquissima forma literae P a T vix diversa, pro Leuces*iae* Leuces*ie* quum AE et E in antiquis monumentis promiscuo sint usu [111]), pro *tibet tibimet*, quoniam *m* et in lapidibus vetustis omittitur, et in codicibus linea praecedenti literae superscripta notatur. Deinde MT leviter mutato in NT, pro *de his cum t* habemus *dehiscunt*, et *onarem* mutato literarum ordine facillime corruptum videtur ex *oramen*. Hac igitur emendatione duo efficiuntur Saturnii Saliares:

No. 9. *Cúme tonas Leucésié, praetexere mónti,*
Quó tibimet cuneí déhiscunt, orámen.

Nunc vero investigatis singulis verbis facile perspicietur, quam conspiret sensus cum Saliari cultu.

1) *Leucesie* pleniore sono pro *Lucesie Lucesi, Luceti* dictum ut in eodem carmine *Sateurnus* pro *Saturnus*, et priscae linguae bene convenit, et Macrobii loco egregie affirmatur Sat. II, 15: »Jovem accipiamus lucis auctorem,

---

110) Cf. Gutberl. p. 137. Herm. Elem. doctr. metr. p. 612. Grotefendt. Lat. Gr. T. II. p. 286. K. Zell. Ferienschr. IIte Samml. S. 109. Egger. Lat. serm. vetust. religg. p. 68 sq.

111) Cf. de ea re Schneid. Gramm. Lat. p. 52. et Angel. Mai ad Cic. rep. I, 10 p. 83. not. c.

unde et *Lucetium* Salii in carmine canunt.« Hunc vero deum supra vidimus eundem esse ac Jovem *Elicium* seu *Elucium*, qui et fulgurum piandorum ritum Numam docuisse, et duodecim ancilia de coelo dejecisse fabula perhibetur.

2) *Praetexere* est *praefari*. Quod enim Festus habet v. *tesca* p. 356: »Opilius autem Aurelius loca consecrata ad augurandum scribsit, sed sancta loca undique saepta docent Pontifici libri,« *tesca* eodem modo a *texendo* (*tecsendo*) seu designando ab auguribus vocata videntur ac loca *effata* et *fana* a *fando*.

3) *Monti* eodem modo dictum est in vetusto carmine atque in libris Pontificalibus, ubi descripta sunt Argeorum sacraria in septem et viginti *Septimontii montibus* seu *pagis* disposita (Varro. Ling. Lat. V, 45 p. 170 sq. et 50 p. 20 sq.), quorum inter solemnia etiam viginti septem [112]) effigies hominum scirpeae Argeorum die (a. d. XVII. et XVI. Cal. April.) in Tiberim a virginibus Vestalibus demersae esse videntur. Nec pauca sunt praeterea vestigia, quae communem Argeorum et Saliorum originem indicant. Primum enim et Saliorum exsultationes et Argeorum oscilla pro humanis victimis consecrata dicuntur, tum Numa fulguralis Etruscorum disciplinae peritus ut illorum sacerdotum solemnia, sic Argeorum quoque sacra instituisse fertur, deinde ad Herculem homicidii ut vidimus eversorem atque Arcades-vel Etruscos-Pelasgos et Saliorum et Argeorum origines in fabulis referuntur, postremo iisdem mensis Martii diebus utraque sacra celebrata sunt.

---

[112]) Numerus ap. Varr. L. L. VII, 44. p. 137. in Florentino obscure ac dubie scriptus, unde alii descripserunt XXIV. alii XXIII. numero XXVII. specie simillima. Quamobrem cum Bunsenio et Woeningero: Das Sacralsystem der Römer. Leipz. 1845. p. 140 — 147 consentio contra Mommsenium. Rec. Zeitschr. für Alterth. Jahrg. 3. 1845. No. 18. p. 139.

Quodsi Etruscorum contemplationem fugere non poterat, in montes ac lucos crebriora quati, vibrari, trajici fulgura, tota haec Septimontii distributio secundum Argeorum sacra e fulgurali Etruscorum disciplina, qua vel numeri tres, septem, novem sacram quandam vim haberent, deprompta, ideoque oscilla Argeorum eadem Novensilium Consentiumque deorum religione in Tiberim demersa esse videntur, qua et Etrusci haruspices fulmen condere et sepelire solebant, et Salii carmen piaculare se praefari fulguritis montium locis canunt. Quid, quod verbum Saliare abercet seu *abarcet* i. e. prohibet idem indicat quod *Argeorum* seu *Arceorum* nomen ab *arce* et *arcendo* dictum, et quod ipsi Salii a *montibus* seu *arcibus urbis* Palatini, Quirinales, Collini, Agonales vocati sunt [113])? Praeterea e ritu illo fulminis sepeliendi apparet, quam facile oriri potuerit fabula, qua Herculis comites *Argivi* viginti septem illis locis sepulti esse putarentur, sicuti in Curtii lacu modo Curtius quidam Sabinus demersus, modo fulgur per puteal et bidental conditum esse dicebatur (Varro L. L. V, 148 sq. p. 57). Quamobrem non dubium videtur, quin Salii ad Argeorum sacella saltationes suas peregerint, et carmina ejusmodi piacularia decantarint.

4) *Cunei* vocantur trisulca Jovis tela (Ovid. Ibis. 469), quippe quae in nummis antiquis videre liceat contorta in cunei formam (cf. Corp. Ant. Rom. Dempster. p. 143). His vero *cuneis* per oppositionem optime respondet ver-

---

[113]) Cf. Indic. verb. Saliar. Hartung. Rel. Rom. II, p. 104. Argeos minus bene ab ἄργος derivat. Argeorum sacra ad tempora ante Romam quadratam conditam spectare Mommsenius concedit Woeningero (l. c.), quae quidem sententia hac mea affirmari et accuratius definiri videtur. In inscriptione ap. Orell. corp. No. 2249 leguntur verba: Salio arcis Albanae, ubi arcis idem valet ac montis, quae quidem verba affirmant connexum indicatum qui est inter: Argei. arx. Salii. mons. arcere.

bum *dehiscunt*, fulmen scindens scissumque poetice depingens.

5) *Oramen* quid sit, declarat Festus v. omen p. 114: »*Omen* velut *oremen*, quod fit ore augurium, quod non avibus aliove modo fit.« Ceterum verbum omina etiam supra legimus in Saliari carmine.

Cetera verba hujus fragmenti quum explicatione non egeant, in aprico est sane nostris versibus de fulmine Jovis Lucetii procurando ritu solito agi. Qua quidem de re cum tradat Persii scholiastes in usu fuisse, ut augures et haruspices adducti de Etruria certis temporibus fulmina transfigurata in lapides (cuneos) infra terram absconderent: cujus in patratione rei oves immolarentur (Pers. Schol. I, 26.): in simili negotio aut Calendis Martiis aut Argeorum die perficiendo Salios sacerdotes hos versus piaculares cecinisse verisimile est. Ad hoc igitur referenda sunt verba Saliaria *obstîtum*, *apica ovis*, *cunei*. Quid quod apud nos quoque lapides quidam vulgo *cunei tonitruales* vocantur ob rotundam convolutamque formam, quod fulminis ictu atque ardore mulsi et contorti putantur.

Egregie vero hoc fragmento explicatur quod supra demonstratum est suis argumentis: ab Etruscis-Pelasgis accersitum esse pro cultu fulgurali illo Novensilium Consentiumque deorum, vernali Martio mense denuo praesentes esse incipientium, neque hoc consensu aptius emendationis nostrae specimen inveniri poterit.

Praeter has igitur tenues axamentorum reliquias singula tantummodo verba nobis servata sunt, quorum jam recensus hoc loco adscribendus videtur.

Abercet, prohibet i. q. *abarcet* Paul. Diac. p. 25, ibid. p. 15: »*Arcere* prohibere est. Similiter *abarcet* prohibet. *Porcet* quoque dictum ab *antiquis*, quasi *porro arcet*« cf. p. 16. *Arculum* . *Arculus* . *Arculata* . *Arcula* (*avis*), quae omnia verba sacri auguralisque sermonis. Cf. quae supra de *Argeis* (*Arceis*) sunt dicta.

Acupedius dicebatur, cui praecipium erat in currendo *acumen pedum* Paull. p. 9. Saliare esse hoc verbum antiquum, et proximis ibidem glossis significatur, et quod optime cadit cum in Salisubsules, tum in Praesulem cf. not. O. Muell.

Adrumavit, rumorem fecit, sive commurmuratus est, quod verbum quidam a *rumine* id est parte gutturis putant deduci.« Paull. D. p. 9. De similibus verbis *rumen*, *rumitant*, *subrumari* cf. Muell. not. Saliare esse verbum et locus glossae ap. Paull. et vox *Rumentum* Fest. p. 270 docet.

Advosem, adversarium, hostem.« Paul. p. 25 i. q. *advorsem*, *advorsum*, *adversum*, cf. not. Muell. et Bergk. Hall. Littz. l. c. qui bene conjungit *Abercet avosem* i. e. abarcet adversarium.

»*Aeruma* utensilia ampliora.« Paull. p. 25. Muell.: »*Aerima* seu *aeruma* simpliciter *ahena* significat.« Immo ipsa *arma* illa *ancilia* Saliorum, amplissimum sane genus sacrorum utensilium. Quodsi ad alia hujus recensus verba optime quadrat *aeruma*, ut *anclare*, *amosio*, *tintinnire*, recte Bergkium l. c. conjecisse apparet.

»*Afvolunt*, avolant.« Paull. p. 26. Saliare secundum Bergk. l. c., quum praesertim ad *praepetes aves* pertineat aut in ipsis axamentis, aut in commentariis Aelii Cloatii Opilii memoratas.

Agonia Varr. L. L. VI, 3. p. 78: »In libris Saliorum, quorum cognomen *Agonensium*, forsitan hic dies (h. e. Liberalia) ideo appellatur potius *Agonia*.« Macrob. Sat. I, 4. Liberalium dies a pontificibus *Agonium* Martiale appellatur. Paull. v. *Agonium* et *Agonias* p. 10. cum Muell. not. Cf. Macrob. Sat. I, 9. Ovid. Fast. I, 318. sq. cf. gloss. sq.

Ambaxioque circumeuntes, catervatim Paull. p. 26 not. Muell.: »*Ambaxium* ab *amb-agendo* ductum est.« Cf. Th. Bergk. l. c. Ad Saliorum exsultationes verbum esse

referendum supra demonstratum est. Simili ratione et suovetaurilia *circumagi* dicebantur, et *circumagi* propria vox ad eos pertinet qui in precibus sacrificiis in omnes partes se vertere solebant; eadem denique ratione *Agonium* et Salii *Agonenses* dicitur.

»*Amosio,* Annuo.« Paul. Di. p. 26. Bergk. l. c. quam quidem glossam varie tentarunt editt. Legerim *anosio,* ut, quoniam non geminabant antiqui literas, adverbium sit ab adjectivo *annosus* deducendum ejusdem generis atque *ambaxio* et *antigerio* in ipso Saliari carmine, quum praesertim adverbia omnino substantivorum ablativi esse videantur. Sic *annosio* referendum esset ad *ancilia.* Etenim haec in vetusto lapide ap. Gruter. pag. CLXXIII. No. 5. nominantur *Arma annalia.* cf. Gutb. p. 84.

Anclare, haurire Paull. p. 10. Recte O. Muell. a Graeco ἀρτλῶ sejungens verbum idem esse vidit, quod *anculare.* Paull. p. 19: »*Ancillae* . . . sive ideo appellantur quod antiqui *anculare* dicebant pro ministrare, ex quo dii quoque ac deae feruntur coli, quibus nomina sunt *Anculi* et *Anculae.* Ab *anclabri* deinde hauriendi significatio deducta est. cf. v. sq.

Anclabris mensa ministeriis divinis aptata. »Vasa quoque ea quibus sacerdotes utuntur, *anclabria* appellantur.« Paull. p. 11. Similiter Paull. p. 77: »Escariae mensae quadratae vocantur, in quibus homines epulantur. Anclabris ea, qua in sacrificando diis *anclatur,* quod est hauritur ministraturque.« Patet certe a verbo *anculandi* compluria sacra ministeria atque utensilia denominata esse; nec dubium videtur, quin etiam ipsum verbum *ancile* ab eadem stirpe sit deducendum.

Andruare cf. v. sq.

Antroare gratias referre. Truant moventur. »Truam quoque vocant, quo permovent coquentes exta.« cf. v. redantruare. Muell.: »Apparet non solum *amptruare* et *antruare* dictum esse, sicut temptare et tentare, sed etiam litera T emollita *andruare.* At illud verbum *truo,* mo-

veor per etymologicum grammaticorum artificium fictum videtur a *trua*, quae vox et ipsa et diminutivum *trulla* omnino vas (Truhe) ideoque etiam cavatam cochlearis partem significat, minime quod moveri potest. Res ni fallor ita se habet. Ut a praepositionibus *ex*, *in*, *sub* verba *extrare*, *intrare*, *superare* derivantur, sic a vetusta praepositione *amb* (ἀμφι) *amb-trare* seu *amp-trare*. et quoniam litera *u* in prisca lingua Latina ante *a* saepius interponitur, factum est *amb-truare* sive *amp-truare*, deinde *antruare* et *andruare*, nihil aliud significans quam *amb-ire*. Spectat vero ad saltationum orbes eodem modo ut *Amb-axioque circumeuntes*, et Saliare fuisse verbum, compositum *Red-amb-truare* certissime comprobat cf. infra h. v.

Antigerio. Quinct. Inst. Orat. I, 6, 40: »nec utique ab ultimis et jam obliteratis repetita temporibus (verba), qualia sunt *topper* et *antigerio* et *exanclare*, et *prosapia*, et *Saliorum carmina*, vix sacerdotibus suis satis intellecta.« Paull. p. 8: »*Antigerio* antiqui pro *valde* dixerunt.« cf. Gutberl. p. 128. Minus recte Vossius in Etymol.: »*Antigerio* quod *ante alia geritur*.« Cf. Placidus ap. Maium p. 432. Paull. p. 8: »*Antarium* bellum, quod ante urbem geritur.« At enim *antigerio* ab *ante-agendo* eadem ratione derivatur qua *ambaxio* ab *amb-agendo*, et *indigitare* ab *indu-agendo* seu *-agitando*, quum praesertim *egerit* sit idem quod *axit*, ut *fecerit* quod *faxit*. Sic enim haec vox et optime cadit ad *Praesulem* Saliorum *agendo praeeuntem*, et ampliorem abhinc suscipere poterat significationem: *praeter ceteros* seu *valde*.

Apor, apud. »Fest. p. 26. Bergk. l. c. Nam *r* pro *d* scriptum esse antiquitus multa sunt exempla ut: *arfinis*, *arfari*, *arvena*, *arvorsus*, *arvorsarius*, *meridies* (*medidies*) cf. Schneid. Gram. I, p. 257. Etiam in tabulis Eugubinis hoc ni fallor animadvertere licet: *Arputrati*, *aripes*, *arveitu*, *arpeltu*.

Astasint steterint.« Paull. p. 25. Bergk. l. c. Lectio incerta. Cf. Muell. not. Ut vero *axit* (*ag-sit*) pro *egerit*,

sic *stasint* pro *stassint, stat-sint, steterint* Saliari sermone dictum, unde *Astasint, Ad-stasint* efficitur pro *Adstiterint,* sicuti in tabulis Eugubinis aliquoties ni fallor *fisim* pro *fecerim.* Ceterum Perfecti conjunctivus etiam aliis in comprecationibus vetustis usitatus, ut *siris* et *sirs* pro *siveris* in Suovetaurilium et Arvalium carminibus.

Axe agglomerati, universi stantes, id est cohortibus aut legionibus. »Paull. p. 25. Sic recte interpungendum censet Bergkius; nec tamen opus est Scaligeri conjectura *axes,* quum sensus hic sit: Salii in *axis* seu *coronae* seu *circuli* formam compositi *convolutique* circum altare. Cf. quae supra de nomine *axamentorum* dicta sunt, et v. *ambaxio,* v. *astasint.* Has vero tres glossas in Saliari carmine conjunctas fuisse, sanus indicare videtur connexus in quem sponte concrescere videntur hunc in modum positae:

No. 10. *Axe ágglomerati ástusínt ambaxióque*
Circumeuntes . . .

et sensu optime quadrante ad chorum Saliorum modo *stantium,* modo *amptruantium* circum altaria, et justo numero Saturnio apparente.

Apica dicitur ovis quae ventrem glabrum habet. (Cf. Varro R. R. II, 2. Plin. H. N. VIII, 48, 75). At *apica* non magis quam *apex* a Graeco πέκος derivandum est. Etenim scribit Isidor. Origg. XIX, 30: »*Apex* est pileum sutile, quo sacerdotes gentiles utebantur: appellatus ab *apiendo,* id est a *ligando.*« Nam virgula, quae in pileo erat, contexebatur filo, quod fiebat ex lana hostiae.« Cf. Paull. v. apex p. 18. Id. p. 23: »*Apiculum* filum, quo flamines velatum apicem gerunt.« Cf. v. Albogalerus Paull. p. 10, Varro ap. Gell. N. A. X, 15, Sueton. ap. Serv. Virg. Aen. II, 683. Apparet sane a verbo *apiendi* primum vinculum seu filum laneum vocatum esse *apiculum,* ab hoc ipsam pilei virgulam filo contextam *apicem,* deinde hostiam, cujus e lana *apiculum* fieret, *apicam ovem;* quae cum tonderetur, omnino ovis ventre glabro vel detonso apica vocari poterat. Cf. v. *pescia.*

»*Auceta* saepe *aucta.*« Paull. p. 25 cum Muell. not., ad quam non habeo, quod addam.

Cante, canite cf. Fr. No. 7.

Cerus manus. Paull. v. Matrem Matutam. p. 122: ··· »in carmine Saliari *Cerus manus* intelligitur *creator bonus.*« Gutb. p. 128 merito reprehendit Jos. Scaligerum qui *cerus* explicet *sanctus.* Etenim jam supra vidimus stirpem verbi esse *cer* seu *ger* ut in *Ceres, gerere, germen, creator, Cra-divus* ctt. Itaque recte Meursius Exerc. Crit. II. III, 1. *Cerum manum* non differre putat a *Genio Jano.* Cf. v. *ceruses* Fr. No. 7. Manus quid sit cf. v. Manuos.

Ceruses, Creator. cf. Fr. No. 8.

Coemisse, collegisse. ibid.

Cume, cum. cf. Fr. No. 9.

Cunei, Jovis fulgura. ibid.

Cusianes, Curiones. cf. Fr. No. 8.

Cozeulo, coculo. ibid.

Dehiscunt, discinduntur. cf. Fr. No. 9.

Deo Divum, Jani appellatio. cf. Fr. No. 7.

Divum, deorum. ibid.

Duonus, bonus. cf. Fr. No. 8.

Dunus, ibid.

Dori, dari. cf. Fr. No. 8.

Empta, ablegmina. cf. Fr. No. 7.

Esō, cibum. cf. Fr. No. 8.

Eum, ibid.

Exanclare Quinct. Inst. Orat. I, 6, 40. cf. Paull. Diac. p. 80: »*Exanclare,* exhaurire,« quae quidem significatio quomodo ab *anculandi* verbo tracta sit, jam supra vidimus v. *anclare.*

»*Exbures* exinteratas, sive *exburae*, quae *exbiberunt,* quasi epotae.« Paull. p. 79. Muell. recte quidem derivat a *bua,* puerorum potione, at immerito Paulli ineptiam reprehendens pro *quae* intelligit *quas* et sic interpretatur: »*exburae* (feminae) *quas* infantes *exbiberunt* (i. e. lac e mammis).« Nam *epotae* activo sensu significat *quae*

exbiberunt, ut *potae quae* biberunt, nec dubitare potuisset Verrius Flaccus, utrum *exinteratas*, an *epotae* interpretaretur, nisi ad victimas pertineret *exbures*. Itaque *exbures* sunt *exuberes* (ἀπογάλακτοι quae non jam *sububeres* ὑπομάστιοι) agnae seu juvencae, qui verbi sensus optime convenit cum verbis Saliaribus: *Exoletus*, *Apica*, *pennatas impennatasque agnas*. Omnino vero victimarum genus speciemque in sacris libris carminibusque accurate descripsisse antistites religiosos, docent acta fratrum Arvalium, Eugubinae comprecationes Festi denique glossae velut: *Adasia ovis*, *Arnae caput*, *confeta sus*, aliae, de quibus cf. Muell. Index. verb.

»*Excipuum* quod *excipitur*,« ut praecipuum quod ante capitur.« Paull. p. 80. Id. p. 21: »*Ablegmina* partes extorum, quae diis immolantur« et ibid. Glossae Isidori: »*Ablegmina* partes extorum, qua *prosegmina* dicuntur h. e. quae *ableguntur*.« Easdem igitur extorum partes significant verba: *empta*, *ablegmina*, *excipua*, *exdecimata* (cf. infr.); cf. v. *Insiciae*, *expectorat*, *exciet*, *exporgere*.

Exciet excutiet cf. v. *excudere*. Ut vero antiquitus *exporgere* per syncopen pro *exporrigere*, *porgam* pro *porrigam*, *axamenta* pro *acitamenta* (*axare*, *acitare*, *agitare*), sic *exta* ortum videtur ab *excita* (*exctu*).

»*Excudere*, procudere et incus ipsa a caedenda dicta sunt.« Paull. p. 79. Id. p. 62: »Cudere a caedendo dictum.« Jure Muell. not. reprehendet etymologiam. Nam quum *cutis* primum animalium pellem, tum plantarum aliarumque rerum superficiem significet, *cutere* et *cudere* proprie est vehementer movere superficiem, unde et gallinae *ova excudere* (Varro R. R. III, 9), et feminae *foetus excutere* dicuntur (cf. lexic.). Quare vox *excudere* ad victimam pertinens significare videtur *cutem detrahere* vel *cute exuere*, unde factum facile crediderim, ut interpres incertus de *caedenda* hostia dici putaret, ideoque falsam illam etymologiam proferret. Sic optime quadrat

verbum ad Saliaria: *exciet*, *exdutae*, *exdorsua*, *apica*, *pescia*.

»*Exdecimata*, electa,« p. 80. Nota est *decima* Herculis unde *decumare* dicuntur qui ei *sacrificant*. Fest. v. Potitium ac Pinarium p. 237. Cujus dei ritus caerimoniasque a Saliorum religionibus non abfuisse, supra demonstratum est. Ceterum etiam aliis numinibus *decimam* tributam antiquitus consentaneum est.

»*Exdorsua* dorsum confringe; alii exime.« Paull. p. 79 cum Muell. not. Est vero in sacris: Victimae excoriatae *dorsum* cultro vel acieri *exsecare*, et carne *exuere*.

»*Exdutae* exuviae.« Paull. p. 80, id. p. 81 *Exuviae* ab *exuendo* dictae, quae duae glossae unius ejusdemque partes fuisse apud Festum videntur, ut supra vidimus distraxisse negligenter Paullum glossas *experrectus* et *excudere* cf. not. 109, cf. v. effata. Ceterum exuviae significat vellus detractum victimae. cf. v. *excudere*. *pescia*, ad eandem rem quae pertinent in carmine Saliari.

»*Effata* elocuta.« Paull. p. 81; id. p. 8: »*Effati* et effata a *fando*, quod ipsum a Graeco ὥς φάτο.« Etiam haec Festi glossa a Paullo demum sejuncta videtur cf. not. 109 et v. Exdutae. *Effata* spectat ad *tesca*, secundum Aurelium Opilium loca consecrata ad augurandum, Fest. v. tesca p. 356. et ad *templa*, Varro L. L. VI, 53 p. 92: »hinc *effari templa* dicuntur ab auguribus.« Jam vero supra vidimus Salios locis sacris carmen *praefari* seu *praetexere*, et ibidem saltationes agere. Idem valet Oscum *prúfatted*. (Cf. C. Peter. Hall. Littz. 1842. No. 84. p. 64).

»*Exfir* purgamentum, unde adhuc manet *suffitio*.« Paull. p. 79. cf. Muell. not. Hoc verbum a stirpe FER videtur deducendum, unde et *ferveo* (*ferbui*) et *febris*, *Februlis*, *Februalis*, *februare*, *Februarius*, mutato *rv* seu *rb* in *br*, cujusmodi vices a Graeca lingua non alienas etiam Etruscae esse proprias docet forma nominis *Cfenle* pro *Cfelne* (Cilnius). Cf. Inscr. Etr. ap. Lanzi. Saggio di

ling. Etrusc. II. 89. Illa igitur verba quum omnino ad ardorem, aestum, *fervorem* sanguinis nervorumque et in morbis et in coitu animalium conspicuum pertineant, unde et caprae ad coeundum pronissimae nunquam febri carere dicebantur, (Plin. H. N. XXVIII, 10. p. 469. ed. Hard.) et Juno *Februlis* seu *Caprotina Februario* mense per Lupercalium solemnia coitum foecunditatemque animalium tuebatur, et *Februus* seu Mantus et Vedius Etruscorum *febri* et pestilentia ad Orcum Manesque devocabat homines. Quodsi ignis ardor omnino purgare putabatur, Festus (v. Februarius p. 85.) interpretatur: »*februaretur*, id est lustraretur et *purgaretur*, idem nostro loco: »*exfir*, *purgamentum*.« Ceterum vel brevis forma verbi *exfir* Etruscam redolet originem, ut *facul*, *perfacul*, *Frutinal*, *Larentinal* (Etr.: *Larnthal*), *Lupercal*, *lupanar*, *volup*. (Cf. Muell. ind. ad Fest.) Ceterum *suffitio* ejusdem stirpis ac *fumus* cum *exfir* non cohaerere videtur.

»*Exoletus*, qui adolescere i. e. crescere desiit.« Paull. p. 80. Facile ad victimas refertur ut *exbures* cf. h. v.

»*Expapillato* brachio, *exerto*; quod quum fit papilla nudatur.« Paull. p. 79. Etymologia minime probabilis. Quum *pappus* significet florum mollem lanuginem seu tenerum tegmen (Paull. v. pappi. p. 220.), et *papula* a tenui cute et *papilio* ab alarum lanugine propria denominatur, deinde *papilla* a *papularum* similitudine nomen traxit (cf. Paull. l. c.). Itaque vetusto et arcano Saliorum sermone *expapillato brachio* est brachio ex *infulae* vel paludamenti *lanugine expedito* sive *exerto*. Idem valet ap. Paull. p. 81: »*Exinfulabat*, exerebat: infulas enim sacerdotum *filamenta* vocabant.« ibid. p. 83: *Effafilatum*, *exertum*, quod scilicet omnes *exerto bracchio* sint *exfilati*, id est *extra* vestimentum *filo* contextum.« Qua de glossa diversissime conjecerunt editores, cf. Muell. not., a quibus discedens *effafilatum* seu *exfafilatum* nihil aliud esse existimo, quam *exfilatum* in ipsa glossa repetitum cum

antiqua reduplicatione *fa,* quam etiam participium perfecti ut in Graeca lingua servaverit. Similes sunt formae reduplicatae in monumentis Oscis: *fefacust.* Tab. Bant. 11, 17, *fefacid*; et omnino reduplicationem haud raro abhibitam in antiqua lingua Latina constat. (Cf. Struve Decl. et Cong. L. p. 160.)

»*Expatare* in locum patentem se dare, sive in spacium se conferre.« Paull. 80. O. Muell. annotavit de *patare, patere, sedare, sedere, liquare, liquere* primae conjugationis significationem esse causativam, secundam statum indicare. Eundem vero ritum Saliarem indicat ac verba *exscendere, effata,* ut supra in fragmento habemus *ad patula.*

»*Expectorat,* ex pectore ejicit.« Paull. p. 80. cf. Muell. not; idem quod *exenterat* cf. v. *exciet, expreta, excipuum.*

»*Explenunt* explent.« Paull. p. 80. id. p. 68: »*danunt* dant,« ubi Muell. comparat Graecum τιθέσαντι et τιθέασι. cf. Non. p. 97, 14 h. v. Sic Fest. p. 162: »*Nequinont* pro nequeunt, ut *solinunt, ferinunt,* pro solent et feriunt dicebant *antiqui.*« Fest. p. 229: »*prodinunt,* prodeunt.« Minus recta videtur Muelleri comparatio; nam ut a verbo *pleo* adjectivum *plenus,* ab hoc novum verbum (*ex*)-*plenunt,* sic etiam *nequinunt, ferinunt, solinunt, prodinunt* a *nequeo, ferio, soleo, prodeo* per adjectivorum formationem *nus* derivanda videntur. Cf. Pott. Etymol. Forsch. I, 275, II, 570. Spectat vero *explenunt* ad sacra vasa, *anclabria*; contrarium *exanclare.*

»*Exploro* antiquos pro *exclamare* usos, sed postea prospicere et certum cognoscere coepit significare. Itaque speculator hostilia silentia perspicit, explorator pacata clamore cognoscit.« Paull. p. 79. cf. v. *endoplorato* ibid. p. 77. et Fest. p. 230: »*Plorare* . . . apud *antiquos* plane inclamare in regis Romuli et Tatii legibus ctt. . . .,« unde etiam in duodecim tabulas manasse videtur. Quadrat igitur verbum ad Saliorum augurationes et indigitamenta.

»*Exporgere*, porro agere, exporrigere.« Paull. l. c. Fest. p. 218: »*Porigam* dixisse antiqui videntur pro *porrigam*, propter morem non ingeminandarum literarum ducto verbo a porro regam···sed *antiqui* etiam *porgam* dixerunt pro porrigam.« Ibid.: »*Porriciam* porro jaciam maxime de *extis* dicebant antiqui ... Porricitur autem in mensis arisque quod consecrandum est deo: quod profanatur contra id consumitur a vulgo profano.« Ceterum *porricio* idem verbum, quod *Porrigo* ab *agendo* et *porro* derivandum; nam etiam verbum *agendi* antiquitus *c* litera scriptum docet Paull. p. 23: »*Acetare* dicebant, quod nunc dicimus *agitare*.« Ejusdem stirpis verba cf. *Axe*, *ambaxioque*, *axamenta*, *indigitamenta*, *agonium*, *antigerio*; praeterea cf. v. exfir.

»*Expreta* antiqui dicebant quasi expertia habita.« Paul. Diac. p. 79. Muell. a *sperno* derivat, quod minus placet. *Expretus* potius antiqua forma videtur pro *expressus* ut *mertat* pro *mersat* Paull. p. 81. *Exfuti effusi* ibid. *Adgretus*, *aggressus* p. 10. Etiam hoc verbum ad exta spectat.

»*Exscendere* egredi.« p. 79. cum Muell. not. cf. v. *experitos*, v. *expatare*.

»*Experitos* imperitos.« Placidus Mai p. 461: Experitus, non peritus, id est extra peritiam positus. Haec glossa cum praecedenti facillime conjungitur, ita ut vates Saliorum jusserit: *Exscendere experitos*, ut lictor in quibusdam sacris clamitabat: *hostis*, *vinctus*, *mulier*, *virgo exesto*. Cum hoc enim negotio glossa *effata* optime conspirat. Cf. Paull. v. *exesto* p. 82.

Janus cf. Fr. No.

»*Insicia* ab eo quod *insecta* caro, ut in carmine *Saliorum* est, quod in extis dicitur nunc *prosectum*.« Varro L. L. V, 110. Macrob. Sat. VII, 8: »ab insectione insicium.« Gutb. p. 139. Cum hoc igitur verbo pleraque praecedentia optime conveniunt.

Leucesie cf. Fr. No. 9.

Luciam Volaminiam. Varro L. L. IX, 61 p. 216. Videmus enim *Maniam* matrem Larum dici; Luciam Volaminiam *Saliorum* carminibus appellari.«

Mamuri Veturi. Varro L. L. VI, 45 p. 90. Itaque Salii quod cantant *Mamuri Veturi* significat *veterem memoriam.* Cf. quae supra de hac appellatione dicta sunt. Hartungius, Rel. Rom. II, p. 169 Vituri a *vitulando* et *vitulatione* derivat.

Manuos in carminibus *Saliaribus Aelius Stilo* et *Aurelius* significare aiunt *bonos:* unde inferi di *Manes* pro *boni* dicantur a suppliciter eos venerantibus propter metum mortis, ut immanes quoque pro valde ... dicuntur.« Fest. p. 146. Sic recte Muell. locum restituit e Paulli excerpto p. 147. v. Manues. Contra Fest. p. 157: »*Manes* di ab *Auguribus* invocantur, quod i per omnia *aetheria* terrenaque *manare* credantur.« cf. v. *Manalis* fons ibid. v. *manare* p. 158 v. *mane* p. 125 *A manandi* aequabili, miti, silenti motu animae mortuorum fluida *manes*, et omnino boni manui vocati sunt et adverbium *mane* tempus significat, ubi *sol manat* (v. manare l. c.) h. e. cum solis orientis radii splendorem (fluidum) jacere coepissent. Ab adjectivo *manus* C. Peter (Hall. Littz. 1842. No. 84 p. 63.) derivat Oscum perfectum *aamanaffed* (ad-man-avit) i. e. approbavit (Cipp. Abellan. 10.) *Monti* cf. Fr. No. 9.

»*Molucrum* non solum quo *molae* teruntur dicitur, id quod Graeci *μοληκόρον* appellant, sed etiam *tumor* ventris, qui etiam virginibus indicere solet: cujus meminit Afranius in Virgine: Ferme virgini, tamquam gravidae mulieri uterus (crescit), *molucrum* vocatur, transit sine doloribus. *Cloatius* etiam in libris sacrorum: »*molucrum* esse aiunt *ligneum* quoddam quadratum ubi *immolatur.*« Idem *Aelius* in *explanatione carminum Saliarium* eodem nomine appellari ait, quod *sub mola* supponatur. *Aurelius Opilius* appellat ubi *molatur.*« Fest. p. 141. Interpunxi post verbum *sacrorum* (:«) ita ut praecedens *meminit* ad *Cloatius* suppleatur, et pronomen *Idem* non masculinum

sed *neutrum* genus interpretor. Sic enim locus multo facilius sanatur quam Muelleri emendatione, qui post *Cloatius* interponere vult *et Aelium.*

„*Obstitum Cloatius* et *Aelius Stilo* esse aiunt violantum attactumque de coelo. *Cincius* quom qui deo deeque obstiterit, id est qui viderit quod videri nefas esset.“ Fest. p. 183. Liquet igitur in illud carmen Saliare cadere obstitum, ubi de fulguribus condendis seu procurandis agitur.

Omen. cf. Fr. No. 8.

Oramen. cf. Fr. No. 9.

»*Pa* pro *parte;* et *po* pro *potissimum* positum est in *Saliari carmine*« Im. Huschk. de Annio Cimbro p. 53. pro *parte* recte scribendum censet *patre,* probante etiam O. Muell. et pro *potissimum* Adina habet *populo.* Primum enim negari non potest, breviatam hujusmodi scriptionem nonnisi in certis, statutis, repetitis formulis dicendi adhiberi; deinde quum dici mos esset Romanis in omnibus sacrificiis precibusque: *populo Romano Quiritibusque,* (Paull. v. dici p. 67.) consentaneum est etiam in carmine Saliari *patre* ac *populo* dictum pro *senatu populoque Romano.* Fortasse antiquo sermone scriptum erat: *parte* et *popliscito* unde dubia lectio *populo* et *potissimo* facillime exoriri poterat.

»*Pennatas impennatasque agnas* in *Saliari carmine* spicas significat cum aristis et alias sine aristis: agnas novas voluit intelligi.« Fest. p. 210. Ad hanc glossam Scal. affert Theophr. VIII, 7: »*καὶ οἱ στάχυες μικροὶ, καὶ τούτους οὓς καλοῦσιν ἄρνας,*« ut apud nos salicum flosculi *Laemmer* vocantur. Muellerus autem optime post verba sine aristis conjecit plura excidisse hujusmodi: *sed Aelius oves veteres et;* nam hanc alteram revera fuisse *Aelii* interpretationem inde firmatur, quod idem verbum Saliare *Pescia* explicat: »*capita* ex pellibus *agninis* facta,« quarum utraque explanatio bene convenit cum glossa *apica* ovis. cf. v. *pescia.* »*Pennum* autem

antiqui *acutum* dicebant; unde et avium pennae quia acutae.« Isidor. Origg. XIX, 19; neque aliunde nomen *Peninni montis* et *Jovis Pennini* deducendum est. Qua notione ad lanae fila seu crines tanslata, *pennatas impennatasque agnas* est: *agnas lanatas* et *non lanatas* seu *veteres* et *novas*.

»*Pesnis* pennis ut Casmenas dicebant pro Camenis.« Fest. p. 205; id. p. 209: »Pennas antiquos ferunt appellasse petnas ex Graeco, quod illi πετηνά ea quae sunt volucriora dicant. Item easdem pesnas ut caesnas.« Sic cum Muell. scribo praeterquam quod *volucriora* non mutavi in *volucria*. Veram verbi stirpem habet Isidor. l. c. Spectat vero ad *alites* et oscines aves, de quibus in auguralibus Saliorum carminibus memoratum esse docent verba *Sonivium*, *praepetes*, *rumentum*.

»*Pescia* in Saliare carmine *Aelius Stilo* dici ait *capitia* ex pellibus *agninis* facta, quod Graeci pelles vocent *pesce* neutro genere pluraliter.« Fest. p. 210. Festi interpretes attulerunt πέκω, tondeo et πέσκη ex Hesych. πεσκέων, δερμάτων. At etiam hic in vestigiis Latinae linguae stare licet. Nam quum *sc*, *cs*, *ct*, *cst*, *x* in Italiae antiquae linguis promiscuo fuisse usu videantur, *Pescia* a *pectendo* derivatur ut Saliare *Insicium* h. e. *insecta caro* ab *insecando*. Ut igitur *pexa vestis* est bene *lanata*, (Hor. Epp. I, 1, 95. Plin. H. N. VIII. 48) sic *pescia* sunt *capitia lanata* Saliorum hostia albae seu *apicae* ovis *lana* contexta cf. v. *apica* v. *pennatas impennatasque agnas*.

»*Perfines*, perfringas.« Fest. p. 205. Significat igitur fines tollere, perimere, ut definire fines constituere, atque ita pertinere ad effati *pomerii fines* poterat, cf. Fr. No. v. *promerion*, *effatu*, *exscendere*, *expatare*.

»*Petilam* suram, siccam et substrictam vulgo interpretantur. Scaevola ait ungulam albam equi ita dici.« cf. Non. p. 149, 7. Fest. p. 330: »*Spetile* vocatur infra umbilicum suis, quod est carnis, proprii cujusdam habi-

tus, *exos*, qua etiam antiqui per se utebantur.« *Petilam* idem significare ac *spetile* conscpicitur e Fest. p. 209 v.: »*Petimina* . . . . . eo nomine autem inter duos armos suis quod est, aut *nectos* solitum appellari testatur Naevius.« Hic Muellerus pro corrupto *nectos* vult *pectus*; at apparet *exos* e praedenti glossa esse scribendum.

Patula. cf. Fr. No. 8.

»*Pilumnoe poploe* in carmine Saliari, Romani, velut pilis uti assueti: vel quia praecipue pellant hostes.« Fest. p. 205. Meursius interpretatur: *populi Pilumni dei*, qui idem sic ac *Romulus Quirinus*, quum ab *hasta* uterque nomen traxerit (*pilum* et *curus*). At recte Gutberl. p. 148. *eo* nominativum indicare vidit (*oi*), Muell. approbavit, ideoque *pilumnoe poploe* nihil aliud est quam *pilani populi*, quum *urnus* et *umnus* sint adjectivorum formae quales *unus*, *inus*, *anus*. Neque aliud igitur valet ipsius *Pilumni* dei nomen. Ita vero cantasse priscis olim temporibus Salii solemniter videntur vota facientes pro salute populi Romani, priusquam formula: *Populus Romanus Quirites* publice fuerit concepta et constanter usitata; neque quidquam mutarunt etiam posteris temporibus sacerdotes, quia religio vetabat.

»*Plisima*, plurima.« Fest. p. 205 cum Muell. not. Aliae verbi formae antiquae: *plusima*, Varro L. L. VII, 27. p. 130. *ploisuma*, *ploiruma* cf. Scipion. monum.

Polet, pollet: quia nondum geminabant antiqui consonantis. Fest. p. 205 cum Muell. not.

»*Polteo* pro *ulteriore*.« Fest. p. 205. Haec explicatio omni ratione carens plane nulla est, nec dubium, quin plane corrupta sit glossa: quae tamen facile sanari poterit scripto *pultario* seu *pulterio* pro *ulteriore*, ita ut habeamus adjectivum *pulteus* seu *polteus* a *pulte* derivandum apud antiquos dictum pro *pultario*. Etenim in publicis sacrificiis *puls fabata* dabatur diis cf. v. *Refriva faba*.

Pommelios cf. Fr. No. 8.

Praeceptat in Saliari carmine est, saepe *praecipit.* Fest. p. 205. quae quidem vox ad magistrum seu *praeceptorem* Saliorum facile pertinere videtur.

»*Praedotiont*, praeoptant.« Muell. not.: *praedopiunt* conj. Meurs. probabiliter. Compositum est e *praed* (ut *red*, *sed*, *prod*) et *opere*, quod frequentative dicitur *optare.*« At vereor, ne verbum praedotiont recte scriptum sit, sed explanatio grammatici falsa. Etenim *praedotiont* a *dote*, *dotare*, (*dotire*) deducendum in antiquis comprecationibus eodem sensu pronunciatum videtur quo *duint dii*; sicut etiam supra in carmine Saliari invenimus *dori* pro *dari* scriptum.

»*Praepetes* aves quidam dici aiunt, quia secundum auspicium faciant *praetervolantes*, alii, quod aut ea, quae *praepetamus* indicent, aut quod praetervolent« . . . cf. Fest. p. 205. Melius Fest. p. 245: »*Praepetes* aves dicuntur quae se ante auspicantem ferunt, nam *antiqui praepeterc* dicebant pro *anteire.*« cf. Fest. p. 206: »*Petauristas* . . . *Aelius* quod in *aere* volent.« Convenit *praepetes* accurate cum *afvolunt* et *sesopio* Saliaribus verbis. cf. Bergk. l. c.

»*Pretet tremonti* praetremunt pe.« Fest. p. 205; glossa corruptissima quam varie editt. tentarunt frustra. Muell.: »*prae tet* (i. e. ted) *tremonti*, praetremunt (ut dicitur praemetuo te); Doricum τρέμοντι pro τρέμουσι.« At ejusmodi formam a Saliari sermone alienam esse docent verba: *afvolunt*, *astasint*, *dehiscunt*, *explenunt praedotiont.* Quid multa? *Pretet tremonti* corruptum est e *praetexere monti* quod supra legimus. cf. Fr. No. 9.

»*Priviclio es*, privis id est singulis.« Fest. p. 205. Muell. cum Ursinio *privicloes* pro *priviculis* vult. Lindem. *privoloes*; in margine scriptum *privivio es* cf. Bergk. l. c. Quamobrem ut *sonivio* (cf. h. v.) dicitur pro *sonanti* in carmine Saliari, sic *privivio* pro *privato* ὄντι dictum arbitror.

»*Promenervat* item pro *monet.*« Fest. p. 205. cf. Paull. p. 123: »*Minerva* dicta, quod bene *moneat.*« cf. Gutb. p. 149. De etymo Minervae supra dictum est, ideoque verbum *promenervat* a nomine deae ducendum videtur.

Prosapia Quinct. Inst. Orat. I, 6, 40. Paull. p. 225: »*Prosapia* progenies, id est *porro sparsis* et quasi jactis liberis, quia supare significat jacere et disjicere.« Cf. Non. p. 67, 28, Fest. p. 310: »*Supat* significat jacit unde *dissipat*, disicit, et *obsipat*, obicit et *insipat*, *insipit* et: *insipit* far in aulam, inicit far in ollam. Immo dividendi, *spargendi* notio hujus verbi genuina videtur quae inest in *sepio* (secludo) *sepes*, *praesepio praesepes*, et sicuti *semina spargi* dicuntur, ita *prosapia* est *progenies.*

»*Promerion*, praecipium, praeter ceteros *meritum* aut *pro medium* hoc est *participat;* aut pro indivsio dicimus.« Quam quidem glossam corruptissimam varie editt. restituere conarunt. Muell. tentavit: »*pro* μοϱία hoc est *particula.*« At multo facilius legitur: *promedium* hoc est *participatum*; quamvis interpretatio Festi nullo modo sufficiat. *Promerion* videtur potius *promerium* seu *promerium* (*pro - murium*), unde Cato et Antistius Labeo *posimerium* seu *pomerium* dirivant, (Fest. v. *posimerium* p. 249), quod alii rectius a *postmoerium* (Fest. l. c. cf. Varro L. L. V, 143. p. 55). Nam *pomerium* proprie est locus seu orbis terminatus *post murum*, qui finem urbani auspicii faciat, tum totus locus agerque effatus urbani auspici. Quodsi in omnibus terminationibus ab *utraque* termini parte spatium erat vacuum relictum, (cf. Hartung. Rel. Rom. II, p. 50) id ipsum Livii haec verba de moenibus docent: (I, 44) »ut neque *interiore* aedificia moenibus continuarentur, quae nunc vulgo etiam conjungunt, *et extrinsecus* puri aliquid ab humano cultu pateret soli.« Ergo *pomerium* (*post - murum*) *interior, promerion* (*pro-muro*) *exterior* est locus ille effatus. Simili ratione locus seu ager *a pomerio* seclusus ac *remotus*

Remoria et *Remurinus* ager vocatus videtur Fest. v. *Remurinus ager* v. *Remores* p. 277, unde totam de *Remo* fabulam pendere alio loco demonstrare propositum est, eodemque spectat, quod in commentario vetere sacri juris ap. Varr. L. L. VI, 91 saepius repetita legitur formula *circum moeros* et *de moeris*. Sunt vero haec omnia ex Etrusca urbium condendarum disciplina repetenda, et Saliaria verba *pommelios* et *promerion* eadem ratione sibi respondent qua *postica* et *antica* in auguralibus caerimoniis. Cf. v. *effata, perfines,* Fr. No. 8.

Quolibet, quo *tibimet* cf. Fr. No. 9.

Recum (*bentem*) Fr. No. 8.

Redantruare dicitur Saliorum carminibus, cum praesul *ampiruavit,* quod est, motus edidit, ei referuntur invicem idem motus. Lucilius: praesul ut *ampiruet,* inde vulgus *redamplavit* at.« Ex iis quae supra dicta sunt de verbo *amptruare* apparet *Redamptruare* esse *red-amb-trare* h. e. *red amb-ire,* unde perfectum sonare poterat et *redamptruavit* et *redamptravit.* Itaque levissima mutatione versus Lucilii varie tentatus (cf. Muell. not. Gutb. p. 152. Varges Mus. Rhenan. specimen Quaest. Lucil. T. III. p. 62. sq.) sic restituitur: »Praesul ut *amptruat,* inde et vulgus *redamptravit* ut.«

Refriva faba dicitur, ut ait *Cincius* quoque, quae ad sacrificium *referri* solet domum ex segete auspici causa, quasi revocans fruges ut domum *datantes tevirtico* ad rem divinam faciendam. *Aelius* dubitat, an ea sit, quae prolata in segetem domum *referatur,* an quae *refrigatur,* quod est torreatur, sed opinionem *Cinci* adjuvat, quod in sacrificiis publicis, cum *puls fabata* dis datur, nominatur *refriva.*« In hac glossa Fest. p. 277 pro corrupto *datantes tevirtico* Muell. emendavit: *ditent: ea est virtute,* ego multo leviore literarum mutatione legendum arbitror: *ditantes reverticlo* (*reverticulo*) ita ut hic sit sensus: faba *relata* ad rem divinam faciendam *reversione* sua fruges revocans, quippe quae domum

ditent. Sic intelligitur, quid sit apud Festum p. 379: *Vernisera*, messalia auguria h. e. auguria e vernali segete (*vernus*, *serere*) capta uberis messis causa, ut *refriva* illa *faba*. Quae vero auguria magis ad *vernalia* Saliorum solemnia pertinere poterant? Praeterea *Aelii* ac *Cincii* nomina et glossa *polteo* indicant refriva Saliare esse verbum.

»*Rumentum* in auguralibus significare videtur interruptio abruptiove: dum verba *ancilibus movendis* praeit, si interim avis canerit (sinistra obnunciato): augurio rumentum estod.« Fest. p. 270, Collato Sabidii commentariorum loco de quo egimus not. 107., versimile est ipsum Saliorum vatem pronuntiasse haec verba:

No. 11. *Augurio rumentum estod.*

Cf. supra v. *Adrumavit* cum Muell. not.

»*Salias virgines Cincius* ait esse conducticias, quae ad Salios adhibeantur cum apicibus paludatas, quas *Aelius Stilo* scribsit sacrificium facere in Regia cum Pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.« Fest. p. 329. De his jam supra expositum.

»*Sateurnus* Saturnus.« Paull. p. 323. cf. Fest. v. Saturno p. 325: »qui deus in Saliaribus *Sateurnus* nominatur videlicet a sationibus. Cf. Muell. not.

Sesopia in Augurali et *Saliari* carmine appellantur quae alias *esopia* pro *sedilibus* dicere habemus nunc adhuc in consuetudine. Fest. p. 290. Sic Ursinius acute supplevit mancam glossam e Plauto Truculent. II, 8, ubi legitur *esopia*. De litera *s* in fronte apposita cf. Gutb. p. 155. Ceterum *esopia* et *sesopia* ad verbum *supare* referenda videntur cf. v. *prosapia*, et ad *avium* ni fallor *sedilia* (Varro. R. R. III, 5) spectant. Sic enim verbum *sella* in Sabidii commentario scriptum est, ubi tripudium sollistimum seu *sonivium* enarratur. Cf. supra not. 107, quum praesertim etiam quae sequitur apud Festum vox *sonivio* ad Saliorum auguria spectare videatur. Cf. v. *praeputes*, *afvolunt*.

»*Sonivio* significat in carmine *Saliari* et augurali *sonanti.*« Sic Ursin. bene supplevit Fest. p. 290. *Sonivium tripudium,* ut ait Appius Pulcher, quod *sonet,* cum pullo excidit puls, quadrupedive.« Fest. p. 297. Sed ampliorem fuisse in auguriis verbi sensum docet Serv. Aen. V, 90.: »*Tripudium sonivium* id est a *sono.*« Ad quod pertinet, si arbor sponte radicitus cadat, si terra tremat.« Cf. Cic. ad Div. VI, 6. et Plin. H. N. XV, 22. Est igitur sonivium tripudium omnino: quod in qualicunque augurio *terram* ita *puvit,* ut *sonet,* ideoque etiam ad *sonantes* Saliorum *exsultationes* quibus novus annus *inauguratur* pertinet, unde *tripudiare* saltandi notionem accepit. Cf. not. 107. Docet vero, si quid video, glossa *Rumentum* haec verba: *sonivio tripudio, praepetes, afvolunt* carminis esse, dum *ancilia moverentur,* Calendis Martiis decantati.

Supplicante cf. Fr. No. 7.

»*Subuculam Aelius Stilo* et *Cloatius* iisdem fere verbis demonstrant vocari, quod diis detur ex alica et oleo et melle, nam de tunicae genere notum est omnibus.« Est igitur placenta quae ceteris dapatilibus *subditur (subduo, sub-uo* ut *exuo),* unde fabulam illam de Aeneae comitibus mensas comedentibus confictam crediderim. cf. v. *polteo, refriva faba.* Fest. p. 309.

»*Tame* in *carmine* positum est pro *tam*« Fest. p. 360, ut *cume* e *Saliari carmine* affert Terent Scaur. Fr. No. 9. Hic igitur de *eodem* carmine sermonem esse vidit Jos. Scaliger.

»*Tintinnire* Non. Marc. p. 40. 13. Nigidius lib. XVIII. »Itaque ex *aere* in Saliaribus Albanus tintinnat.« Albanus (sc. Salius) pro Altanus cum Lipsio Lib. V. Ant. Lect. cap. 14. recte legendum esse censet Gutb. p. 160. Cf. Fest. p. 365. v. tintinnare. Ceterum conjunctum fuisse videtur in Saliari carmine *aeruma tintinnat,* ut apud Nonium *aere tintinnat* i. e. *ancilia* resonantia pulsat cf. v. *aeruma,* Catull. epigr. 52.

Tonas, cf. Fr. N. 9.

Topper Quinct. Inst. Orat. I, 6. Fest. p. 352 cf. Muell. suppl. annot. p. 412: cito, celeriter, temere. Referenda videtur haec vox ad stirpem *TUB* a qua *tuber, tuberare, tumescendi* notione subversante; unde significare poterat vehementer abundanter.

Multa igitur et varia fuisse haec axamenta eo conspicitur quod Capitolinus esse aliquid existimat ea omnia ediscere. Nam Praeter *Janulos, Junonios, Minervios* ceterorum deorum versus, quorum sensum ipsorum numinum natura cum carminum reliquiis integris quibusdam comparata assequi ab aliqua parte conati sumus, decantata esse, praeeunte vate, compluria inaugurationum et exaugurationum carmina, et verbis singulis de quibus egimus et fragmentis integris certissime confirmatur. Omnino Salios sacerdotes caerimonias sacrificiorum, auguriorum, epularum, saltationum suarum, ipsum denique vestitum ornatumque suum carmine inter laudes deorum persecutos esse eadem ratione, atque in tabulis Eugubinis ejusmodi sacra descripta reperiuntur, omnes vetustorum carminum sparsae illae raraeque reliquiae arctissimo consensu satis superque demonstrant. Praeterea virorum de republica bene meritorum nomina publicis cum laudibus in Saliorum vota pro republica facientium versibus appellata esse, colligitur e fabula illa de Veturio Mamurio tradita, et Tacitus hunc honorem imperatorum aetate amplissimum haberi clarorum virorum praemium profitetur [114]). Post eo usque processit adulatio, ut etiam imperatoribus Salii consecrarentur. At enim descriptionem originum, cognationum deorum, qualem Hesiodi theogoniae similem in axamentis infuisse e Virgilii dubio loco Goettlingius temere conjecit, cum a totius religionis Romanae ratione, tum e Saliaribus cantilenis plane alienam fuisse et Schoemannus vidit [115]), et tota hac disputatione elucet.

[114]) Tacit. Annal. II, 83.

[115]) Schoemann: De Theogonia Hesiodi. Ind. scholar. Gryphisw. sem. aest. 1845.

Jam vero temeritatis esse nescio an videri non possit, si connexum trium ejusmodi carminum ex his divulsis discerptisque eorum reliquiis pro sacrorum ad quae spectant generibus compositis divinari et adumbrare hac ratione conamur.

Primum igitur Calendis Martiis, ubi movebantur ancilia cum tripudiis Saliorum ad annum quodammodo inaugurandum, etiam hoc ipsum augurium carmine cecinisse sacerdotes vetustos, indicant haec verba.

Praepetes aves · pesnis · afvolunt · sesopia · sonivio
tripudio · adrumavit · augurio rumentum estod.

cujusmodi augurium Sabidii in commentario Saliari perscriptum invenimus. cf. supra not. **107**.

Amplioris vero carminis has habemus reliquias et indicia. Docet enim primum de quo egimus fragmentum, Salios in canendis sacris a Jano rite incipere, in altero jam vidimus exta in ollam dari, Janumque eundem indigetari, ut in effatum pomerium ad epulum lectisterniumque intret. Quid igitur? Nonne in aprico est utrumque fragmentum unius ejusdemque Januli carminis esse. Nonne consentaneum est post versum illum initialem etiam ceteras solemnes caerimonias huc pertinentes, antequam de coquendis extis agatur, eodem in carmine memoratas esse? Etenim singula verba Saliaria facillime inter utrumque fragmentum illud eo ordine interponi et intercalari possunt, ut accurate progressum caerimoniarum sacrificii, inter praefationem Jani et exta in ollam data deinceps rite se excipientium, sequi, et sensum deperditorum versuum paene integrum reddere videantur. Hunc igitur habemus connexum:

Praefantur Jano:

Divum empta cante, Divum deo supplicante [116]).

---

[116]) Versum sic verto

Der Goetter Erkohrenes singt, zum Gott der Goetter betend singt.

De scripto praeit magister seu vates:

Praeceptat · promenervat.

Jubet sacerdos: Procul este profani:

Exscendere · experitos · effata · expatare.

Canitur ne dirae obstrepant:

Adrumavit · Auguriorum rumentum estod.

Immolatio inchoatur. Mola salsa in caput victimae inspersa:

Molucrum · subuculam · polteo · refriva faba.

Vinum gustatur, libatur, affunditur:

Anclabris · explenunt · anclare · exanclare.

Hostia a curionibus mactatur, excoriatur, abluitur, exinteratur:

Apica ovis · exbures · exoletus · expapillato (brachio) · cusianes · excudere · expectorat · expreta.

Haruspex aut sacerdos viscera rimatur. an perlitatum sit:

Exploro · excipua.

Certae viscerum partes exciduntur et porriguntur:

Exdorsua · petila · insicia · exdecimata · exporgere.

Aulicoria exta in ollam dantur. Janus ad epulum lectisterniumque in pomerium vocatur:

Cozeulo dori esō. — Omina vero
Ad patula coemisse Jani Cusianes
Duonus Ceruses, dunus Janus venet
Pommelios · Eum recum[117]) · · ·
promerion · perfines.

Saltant Salii armati, paludati, apicati ancilibus tintinnantes.

Pescia · apex
Ancilia · aeruma · anosio · tintinnire.

---

[117]) Hoc versus sic verto:

In den Kessel thuet die Speise. Weiheopfer also
Zu Janus offnem Tempel erlasen die Curionen
Der gute Schoepfer wird, der gute Janus kommen
In der Mauern Ring. Ihn ruhend · · · ·

Acupedius · antigerio · praesul · amptruat
Salisubsules · redamptruare.
Axe agglomerati · astasint · ambaxioque
Circumeuntes [118]).

Vota faciunt pro salute reipublicae et privatorum
Advosem · abercet · Pa et Po · plisima · polet · auceta topper · prosapia · Pilumnoe · poploe [119]) · *privivio es · pennatas impennatasque agnas.*

Apparet igitur non pauca horum verborum Saliarium apud Festum passim dispersorum nostro ordine deinceps posita sponte in connexum sanum concrescere quendam, ne particula quidem scriptionis immutata. Si quis vero miretur, quid sit, quod inter has tenues reliquias tam multa inveniantur verba aut idem significantia, aut iisdem literis praepositis incipientia, is introspiciat acta fratrum Arvalium ac tabulas Eugubinas, et facile videbit ejusmodi repetitiones vetustis comprecationibus vel maxime proprias fuisse.

Tertium denique est carmen, quo de procurandis per montes pagos fulguribus agere Salios jam supra demonstratum est.

Cume tonas Leucesie praetexere monti,
Quo tibimet cunei dehiscunt oramen [120]). —
Obstitum · · ·

---

[118]) Sensum hujusmodi haec verba praebere videntur:
Der Schilde · heilig Erz . alljaehrlich · wiedertoene · —
Schnellen Fusses · anfuehrend · umkreiset . der Vortaenzer,
Wieder kreisen · nachtanzende Salier .
Zusammengeschaart im Kranze sie stehn und im Ringelreigen
Umwandelnd · · · ·

[119]) Etiam his verbis connexus quidam est:
Den Feind · abwehrt · der Vaeter und des Volkes. —
Reichlich · wuchert · kraeftig · gemehrt · die Nachkommenschaft ·
Wehrhafte Mannen · —

[120]) Hi versus sic reddi possunt:
Wenn du o Lichtgott donnerst, sprechen wir dem Berge,
Wo deine Donnerkeile bersten, den Suehnspruch vor.

Quod quidem augurii genus ad Etruscam disciplinam spectans cum originibus Saliorum aptissime convenit.

Totus vero hic consensus connexusque reliquiarum in conspectum prolatus ut cumulus quidam ad singulas nostras accedit argumentationes, et specimen idoneum iis qui recognoscere velint praebet totius ratiocinationis. Quorum etiamsi quis fortasse demonstraverit, erratum esse de uno vel altero verbo, tamen de toto genere horum carminum verum esse observatum, affirmat concentus omnium indiciorum, in quibus argumentatio de rebus plane obsoletis obliteratisque philologica niti potest. Sublimem vero verborum cogitationumque pulchritudinem in his discerptis reliquiis ne quis desideret; quoniam tenue, simplex, succinctum dicendi genus omnino proprium esse genuinae omnium nationum poesi, etiam Germanicarum literarum antiquissima docent monumenta. Tamen hanc ipsam ob tenuitatem non vereor, ne quis haec specimina poesis, religionis, sermonis Romanorum plane contemnenda putaverit.

V.

DE CARMINE FRATRUM ARVALIUM.

. . Maturis albescit messis aristis,
Et color et species floribus omnis inest.
Ovidius.

De fratrum Arvalium collegio, sacris institutis, ritibus caerimoniisque quoniam, quae Marinius in commentario ad tabulas addito diligenter ac fuse exposuit, a Clausenio in brevius contracta produntur in conspectum, ut ne nota recoquantur, ea tantummodo quaestio erit ineunda, quae ad hoc interpretandi carminum priscorum reliquias pertinere munus videbitur [1]). Esset igitur ut supra et de

[1]) Varro L. L. V. 15. p. 33: Fratres Arvales dicti sunt qui sacra publica faciunt propterea, ut fruges ferant arva, a ferendo et

diis et de temporibus solemnium agendum nisi alterum illud caput jam disputatione de Marte instituta absolutum magna ex parte videretur, quum inde haud difficile communis natura ratioque ejus numinis cum Dea Dia, Semonibus, Laribus, ceteris qui a fratribus Arvalibus adorari solebant diis perspiciatur.

Praeter cetera igitur non pauca summum horum erat officium, sacra Deae Diae, a magistro collegii Januario mense in certas Maji dies indicta, peragere ea ratione, qua in tabula quadragesima apud Marinium, primo anno imperantis Elagabali (218. p. Ch.) scripta expositum est [2]). Quo in genere recte animadversum est a Marinio et Clausenio, hos ritus ab Ambarvalibus, quibus agros suos patresfamilias lustrarent, disjunctos fuisse, neque aliud simile intercedere, quam quod vota in utrisque pro agrorum salute facta habeamus. Quaerentibus porro nobis, quaenam fuerit illa apud fratres Arvales Dea Dia, non Opem, nec Cererem, nec Bonam Deam fuisse inde facile probatur, quod harum nomina ne in una quidem omnium sexaginta tabularum leguntur. Contra et plerisque in tabulis legimus: Junoni vaccam

---

arvis fratres arvales dicti. Sunt qui a fratria dixerunt. Plin. H. N. XVIII, 2.: Arvorum sacerdotes Romulus inprimis instituit seque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Larentia nutrice sua genitos, spicea corona, quae vitta alba colligaretur, in sacerdotio eis pro religiosissimo insigni data, quae prima apud Romanos fuit corona: honosque is nonnisi vita finitur, et exsules etiam captosque comitatur. Hartung. Rel. Rom. I, 65. et II, 145.

[2]) Marini gli Atti e monumenti de' fratelli Arvali. in Roma 1795. p. 523. Tab XLI, a. et b. quae tabula omnium luculentissima inventa anno 1778. Indicebantur sacra modo a. d. III. Non. Jan, modo a. d. VI. Idus, modo pridie Idus; peragi solebant aut a. d. XVI, XIV, XIII. Cal. Jun., ut in plerisque legitur tabulis, aut a. d. VI, IV, III. Cal. Jun. Cf. Marini Praefat. p. XXIX.

immolatam, fratres ad cellam Junonis convenisse, alia ejusmodi, et duobus locis haec ipsa verba scripta sunt: *Junoni Deae Diae* [3]); unde satis superque apparet *Junonem* eadem ratione in Arvalibus cantilenis *Deam Diam* esse indigetatam, qua *Janus* in carminibus Saliorum *Divum Deus* [4]). Quamobrem quae supra exposita sunt de connexu Junonis cum Marte, non minus pertinent ad Arvalium religiones, quam ad Saliorum solemnia. Clausenius contra, ne a falsa de Marte sententia sua decedat, connexum illum numinum interpretatus mox fervorem quendam Martis affert communem omnibus diis, mox tres voluntates Deae Diae attribuit, unam Junoniam, alteram Martialem, tertiam denique Cerealem, quae quidem summa fuerit ac praestantissima ejus virtus. Hanc vero Cerealem ejus comitatem poscere: fiduciam, Martialem fervorem istum: honorem, Junoniam majestatem: venerationem hominum [5]).

Haec et plura quae inde conjiciuntur aut tam vaga et confusa, ut vix quo spectent intelligas, aut temerario voluntarioque philosophandi genere conficta sunt, quo, quid ipsi veteres sacerdotes de suis religionibus senserint, neutiquam respicitur. Pro nostra contra sententia docet facile rei natura, cum Marte agresti etiam Lares agrestes et

---

[3]) In Tab. XXXII, a. et b. regnante Commodo scripta an. 183. p. Ch. Marini II, 368; cf. ibid. 686.

[4]) Marin. I, p. 10: Quello che pe' Salj fu il Divus Deus e il Deorum Deus, pare a me che per gli Arvali fosse la Dea Dia.

[5]) Clausen. De carmine Fratrum Arvalium. Bonn. 1836 p. 51: iste, qui proprius est Marti, fervor omnino non posse abesse a divina natura videbatur. Id. p. 52 dicit, hanc ferociam minime pro vitio habuisse Romanos homines feroces ac superbos. At idem supra contendit abominatos esse eosdem Martis ferociam; cf. p. 52, p. 54: Cum neque id, cujus summa virtus est majestas, deficiat fervor. De triplice voluntate Deae Diae cf. p. 56. Temere conficta sunt quae hunc in modum disputantur p. 53—55. cf. p. 61.

Semones, quorum vel ipsa nomina rustica indicent opera, carmine sacerdotum Arvalium indigetari, ut segetes frugesque tueantur, uberemque messem dent fieri.

Hujusmodi vero carminis sacri vis ac sensus, nisi anni tempore quo canebatur statuque qui tum maxime est segetum, florum, arborum probe perpenso, omnino intelligi non potest. Hic vero Clausenius in apertissimos sane incidit errores. Primum enim mire putavit, Ovidii illud: »Canis Erigoneius *exit,*« significare *occidentem* Canem[6]), quum et loci ipsius sensus, et permulta ejusdem dictionis alia exempla, si modo Ovidii fastos paullo accuratius inspexisset, eum docere possent, e contrario de *oriente* sidere illo vocabulum exit esse dictum, *aequore* semper poetae animo obversante, unde sidera omnia emergere viderentur[7]). Ejusmodi igitur principio praemisso mirari non possumus, quod inconcinna argumentatio procedit hunc fere in modum: »Post canis

---

[6]) Totus hic locus Clausenii confusus ac distortus p. 57: Iisdem quibus celebrari solent Deae Diae solemnia, diebus exit, ut Ovidii verbis utar canis Erigoneius. Cujus ortus cum imbres et tempestates significaret, exitus liberavisse metu, ne solis aestu perderentur udae fruges, videtur: praeteriit id, quo plurimum a robigine periculi exspectabatur, quod luem, cui ut finis imponatur, precantur fratres, secum ferre solebat, tempus. Quiescere igitur nunc cum solerent tempestatis turbae, restabat unum quod terribilissimum fieri poterat periculum, ne bellum immitteret bellorum deus, quo irrita fierent omnia quae juvisset Dea Dia.

[7]) Ovid. Fast. V, 723: Nocte sequente diem canis Erigoneius exit.
Est alio signi reddita causa loco.

Primum Ovidius nunquam ubi occidit sed semper ubi oritur, sicut rei natura poscit, causam reddit. Tam de occidente stella Ovidius habet I, 314: subit aquas; I, 653: se demisit in undas; II, 77: mersa (in undas,) I, 77; contra de oriente II, 145: jubar extulit undis; II, 953.: exseruit pedes. Sic nostro loco neminem fugere potest exit dictum esse: ex undis.

exitum imbres, ait, et tempestates desinere.« At paullo infra apparebit tum maxime incipere. Sit tamen ita; quid tandem sibi vult quod habet: »non amplius tunc udas fruges solis aestu perdi posse?« Quasi vero lues seu robigo non uno humore imbrium nimio efficiatur, ipso solis potissimum aestu a spicis defendatur. Quid porro? Pro ejus sententia ubi jam abiit illud periculum, tum demum id ipsum deprecari coeperunt fratres Arvales, ne lues incurrat in flores, quum sani homines, ni fallor, priusquam irruant, mala a suis rebus avertere studeant. Quod sentiens Clausenius bellum praeterea affirmavit agrestes sacerdotes deprecatos esse, ne a Marte abominando furibundoque per serenam tempestatem, imbribus turbisque quiescentibus, excitaretur, et messem pessumdaret. Ergo primo carminis versu fratres luem ab imbribus metuere videntur, secundo bellum Martiale a serena tempestate? Faciamus esse, quod nemo credere potest; at qua tandem ratione Lares et Semones sequentibus versibus indigetari consentaneum est? Respondet Clausenius: »primum invocari carmine fratrum Arvalium Lares, ut, nisi sponte a bello Mars desistat, eum defendant; qui cum Marti pares in pugna non sint, aliud praesidium parandum esse Semonum ope [8]).« En magnifica deorum pugna, quam, opinor, fratres Arvales excitare volebant! »Tamen Martem, ut in Deae Diae templum intret et pacem cum diis Cerealibus componat, invitant.« At mox videbimus ex ipsis

---

8) Mars invocatur secundum Clausen. p. 37: ut coerceat luem, ut desinat furere, ut desistat a verberando, ut in tretin aedem, ut pacem denique componat cf. p. 26, p. 63, p. 77. Ceterum Clausenius totam Marinii sententiam expressit, nisi quod pugna et pace illa deorum addita depravavit. Scribit Marini II. p. 604: »Sazio d'infuriare o Marte, salta il limitare (del tuo Tempio) e statti fermo.« At de bello et foedere deorum doctus Marinius minime cogitavit, quamvis et de Martis natura et de carminis verbis cum aliis erraverit.

sacerdotum verbis, quantum ludibrium numinis fuisset, si hoc fecissent. Harum rerum plane sibi repugnantium vix dicere opus est, neque in carmine nostro, neque alio usquam loco ullo verbo esse mentionem factam, ut omittam, quam vehementer cum a totius religionis Romanae, tum a Martis agrestis natura abhorreant.

Jam igitur omnino aberrare a vero, qui de nimio nocentique Martis seu solis fervore cogitasse fratres Arvales carmine statuerint, simplici argumentatione demonstrari potest.

Ut veris sic aestatis initium tempestates atque imbres secum ferre eo perspicitur, quod ante diem III. Idus Maias, quo die aestatis initium fasti Romani habent, Pleiades oriuntur, a. d. XI. Calendas Junias Canis, a. d. VI. Calendas Junias Hyas, a. d. IV. Nonas Junias Hyades[9]), quae omnia sidera imbres ventosque excitare vulgo dicebantur. Per hoc igitur temporis spatium, quo videlicet:

»maturis albescit messis aristis,
Et color et species floribus omnis inest[10]),«

quum, deficiente sensim culmorum succo, non jam valeat humor imbrium ad incrementa eorum augenda, periculum fit, ne putrescant spicae maturescentes. Hanc ipsam ob causam sub messis tempus agricolae ubique bonam serenamque quaerunt tempestatem, quia udae fruges nec celeriter maturescere, nec demeti, nec in horrea condi possunt. Hoc igitur periculo imminente, ne lues incurrat in spicas, etiam a fratribus Arvalibus Mars, Semones, Lares invocantur, ut, imminentibus imbribus quam maxime coercitis, Solis aestu fruges calefieri et ad uberem maturitatem celeriter pervenire sinant. Quo-

---

[9]) Ovid. Fast. V, 599, 723. 734; VI, 197.

[10]) Ovid. Fast. V, 355. Hoc tempore in suovetaurilibus circumagendis Martem invocari dicit Clausen. p. 38: ut turgidum faciat emittatve e terra semen. II!

niam vero et semina sparguntur, et fruges matruescunt, prout antecessit hiems aut mitior breviorque, aut durior longiorque, consentaneum est et Sementivorum et fratrum Arvalium solemnia indictiva decem fere dierum spatio incerta fluctuare.

Nunc vero demonstrandum erit, consentire quae huc usque disputata sint accurate cum ipsis prisci carminis verbis. Primum igitur carmen, quomodo e quadragesima prima tabula, quam Marinius accurate delineavit, extrema restituendum videatur, perscribam, deinde commentatione rei rationem reddam.

No. 12. *E nós Lases juváte*
E nós Lases juváte, E nós Lases juvate,
Neve luérve Marmar sírs incúrrere in pleores,
Neve luerve Marmar sers incurrere in pleores,
Neve luerve Marmar sers incurrere in pleores;
Sátur fufere, Márs, limén sal esta bérber
Satur fufere, Mars, limen sal esta berber
Satur fufere, Mars, limen sal esta berber.
Semúnes alternéi ádvocapit cúnctos,
Semunes alternei advocapit cunctós,
Semunes alternei advocapit cunctos,
E nós Marmor juváto, E nós Marmor juváto.
E nos Marmor juvato
Triumpe, Triumpe, Triumpe, Triumpe, Triumpe.

Comparatis igitur his versibus ter in tabula antiqua repetitis facile apparet, quam multa insint scripturae vitia. Accedit quod in priore parte singulorum versuum lapidis literas rectas et accurate inscalptas, versus finem contra obliquas, mancas, negligenter tantummodo notatas videmus, ita ut ex his, nisi e repetitionibus scires, vix aliquid certi invenire posses. Hinc vero primum elucet, scalptorem sensum verborum a se inscalptorum non

[11]) Marini II. p. 523.

magis intellexisse quam Salios antiqua axamenta sua [12]); deinde sequitur, ubi verbum ter repetitum in hoc carmine diverse scriptum inveniamus, eam scriptionem majorem habere fidem auctoritatemque, quae initio, quam quae in fine uniuscujusque literarum seriei in tabula legatur. Quam quidem ego rationem secutus ea tantummodo verba carminis retractavi, de quibus mihi discedendum a ceteris videbam. Demonstratum est igitur ab aliis: *E* esse invocationis vocem ut in *Equirine Ejuno Ecastor Eceres*, *luerve* pro *luervem*, *luerem*, *luem* positum [13]). Duplicata vero Martis nominis forma *Marmar* ejusdem generis esse videtur atque Osca lingua *Ma-mers* h. e. *Mars-mars* (Paull. v. Mamercus v. Mamers p. 131). Simili vero ratione vix dubium, quin *Mavors* concreverit e duabus partibus *Mars-vir* seu *ver*, quum et numinis naturam haec appellatio accurate tangat (*mas-mas*, *mas-ver*), et *rs* pro *r* omnino vetustae linguae Latinae ut Tabularum Eugubinarum sermoni proprium fuisse videatur, et nomina *Gra-divus*, *Men-nerva*, *Fi-Dius*, *Kra-puvi* similes prae se ferant origines.

1. *Sirs*, *sers*. Scriptum est in prima invocatione *sins*, in altera mutilatum est verbum fracto lapide. At primo loco scalptorem errantem *sinsin* pro uno verbo habuisse, inde colligitur, quod hunc in modum scriptum a sequenti currere puncto disjunxit. Contra in tertia ejusdem versus repetitione perspicuis justisque literis initio ejus seriei scriptum legitur *sers*, unde patet literam *r* in

---

[12]) Recte Marinius ita existimat II. p. 524. Contra Clausen. p. 21 temere non dubitat, quin bene intellectum sit carmen a scalptore. Carmen praeterea legitur ap. Lanzi Saggio di lingua Etrusca I. p. 144. Herm. Elem. Doctr. metr. p. 613. Grotefend. Lat. Gramm. p. 286 (ed. 3). Egger. Lat. serm. vetust vel. p. 68. sq.

[13]) Clausen. p. 23 e pro eh. Plaut. Poen. II, 27. Idem animadvertit neve luerve pronunciari hoc loco similiter atque ap. Cic. Div. II, 40, 84 cave ne eas sonuerit cauneas.

hoc verbo bis tantummodo lecto majorem sibi vindicare fidem quam *n*. Errasse vero scalptor priore loco facile potest, oculis aberrantibus ad sequens *in*, quum praesertim pro scribendi genere in illa tabula usitato litera *R* negligenter scripta prope accedat ad similitudinem literae *N*. Quodsi in comprecatione Suovetaurilium apud Catonem legitur eodem sensu ac nostro loco: »frumenta bene evenire *siris*« et in tabulis Eugubinis: »salvom *seritu* totam Jiovinam,« etiam Arvalium sacerdotum prisco carmine antiquas formas *sers sirs siris* (*siveris*) adjudicandas censeo, scriptione sins per scalptoris errorem orta [14]).«

2. *Pleores* pro *plures* quod volunt plerique interpretes, non video, quem sanum habere sensum possit, sive luerve humorem robiginemque, sive pestilentiam interpretari velis, quae incurrat in plures. Nam etiamsi concesseris *incurrere in pleores* esse *ulterius progredi*, consentaneum est fuisse ante id tempus pestilentiam seu luem, quo fratres Arvales deprecari coeperint. Altera contra sententia, qua *pleores* explicatur *flores* [15]) primum eandem habet grammaticam fidem. Nam praeterquam quod etiam alias P. cum F. permutatur, antiquo sermone vel in ipso carmine nostro, tenui pro aspirata posita, habemus *triumpe* pro *triumfe*, et media pro aspirata, *berber* pro *ferver*; neque *E* ante *O* offendere potest, quoniam ubique inseri apud antiquos, Saliaria verba *cume*, *tame*, *Leucesiae*, *Sateurnus*, *coceulo* indicant. Deinde vero sensum ita aptissimum reddi in aprico est, quoniam et frumentum jam *adultis* spicis demum *florere* scimus, ita ut brevi tempore maturescat, et eo ipso tempore quo

---

[14]) Quod dicit Clausen. p. 25, sers per vitium seu errorem scriptum esse, minime tabulam accurate inspexit.

[15]) Lanzi Sagg. d. ling. Etrusc. I, p. 144. not. 5. »in pleores: in flures o in flores come Purii per Furii.« Cf. Schneid. Gramm. Lat. I. p. 320.

carmen Arvale sacerdotes canebant et *color* et *species floribus* omnis inest.

3. *Satur fufere* qui adoptata lectione *furere* interpretantur *desinere furere*, simile scilicet dictum ac Horatianum illud: heu nimis longo *satiate* ludo [16]), eos nequaquam habere sanum carminis connexum, ex iis quae supra dicta sunt apparet. Quid vero quod *furere* ne legitur quidem in tabula. Nam bis accuratis et perspicuis lineamentis scriptum est *fufere*, utroque *F* paullo altius eminente, semel *eruere* aperto scalptoris vitio inde fortasse tracto, quod praecedentis versus aequali loco verbum, *luerve* negligenter scriptum simillimam ibi praebet speciem. Cum Hermanno igitur quamvis censendum videatur, *fufere* esse formam verbi antiqui *fuo*, tamen non secundam esse personam, sed infinitivum, et qui sequitur infinitivus *berber*, et praecedentis verbi *satur* sensus docere videtur [17]). Exprimere enim verbum *satur* variae foecunditatis plenaeque copiae notionem, conspicitur e loquendi formulis »*saturum rus*, *praesepia satura*, *saturae messes*, *satur auctumnus* quassans sua tempora pomis.« Neque alia ratione *lanx*, quae post messem diversis frugibus referta in templum *Cereris* importari solebat, *satura* est appellata [18]). Ut igitur satura primum erat adjectivum, cui vel lanx vel res vel simile aliquid cogitando supplendum esset, deinde in substantivi vim abiisse videtur, sic nostro loco satur dictum arbitror, ita ut vel *fructus* vel aliud animo addas, cujusmodi cum substantivis conjungi verbum modo vidimus.

---

16) Hoc profert Grotefend. ex Hor. carm. I, 2, 37. Gramm. Lat. II. p. 285.

17) Lanzi l c. not. 7: fufere per fiere, tolta l'aspirazione e congiata l'u nell' affine i devien fiere. Ejusdem est verbi forma Osca: fufans in Cipp. Abellan. vs. 16. Cf. Peter. l. c. §. 20. Etiam in tabulis Eugubinis hoc verbum saepius repetitum legitur.

18) Schol. Acron. ad Hor. Serm. I, 1. cf. lexica.

4. *Limen sal.* Interpretationem eorum, qui *limen sali* explicant *pede pulsa limen templi*, nullo modo sanum praebere carminis connexum jam supra vidimus. Quam vero ficta sit temere haec sententia, nullum praeclarius inveniri potest testimonium, quam ipsa tabulae verba carmen fratrum praecedentia: „Sacerdotes *januis clusis*, acceptis libellis *tripodaverunt* in *verba haec*“: E nos · · etc. [19]). Aut insani fuissent, aut nefarie lusissent sacerdotes, si *januis clausis* Martem, ut intraret in templum, invocassent. Quamobrem non est dubium, quin *limen* sit *lumen* ut Elicius Elucius pro fluctuante vocalium i et u et scriptione et sono apud priscos Latinos (Schneid. Lat. Gramm. p. 18). Hinc vero sequitur, etiam *sal* cum Lanzio et Grotefendio esse interpretandum *sol* [20]). Et quidem verba *limen, sal* sine conjunctione posita sunt, id quod omnino cum antiquo dicendi genere in antiquis comprecationibus inscriptionibusque conspicuo convenire constat, nec refert utrum *lumen solis*, an per ἓν διὰ δυοῖν *lumen et solem* nostro loco intelligere velis.

5. *Esta* berber. Initio quarti tabulae versus literis rectis ac bene distinctis scriptum legimus *esta*, altero contra et tertio loco per vitium opificis negligenter inscalptum *ilsta* et *isia*; unde apparet primo loco plurimum fidei esse. Interpretes contra omnes quum *sta* verbum per se statuerint, et literam *i* pessimae fidei ad praecedens verbum assumpserint, aut de solis noxio fervore, aut de introitu dei in templum hoc loco cogitandum censent; quarum utraque sententia quam falsa sit, jam supra demonstratum est. Itaque *esta* nihil aliud esse videtur quam *estu* seu *aestu*, quum et forma literae a in lapide illo formae u simillima sit, duabus formis *aestas* et *aestus* radicis *est* antiquissima sane lingua non

---

19) Cf. tab. ap. Marin gli Atti l. c. Lanzi Sagg. I. p. 146.

20) Grotefendius qui salis solis interpretatus est, unum s inseruit, ita ut fieret: (lumen) solis sta h. e. siste.

jam accurate disjunctis, facile *a* et *u* in flexione confundi posse appareat. Accedit, quod paucis ante diebus, quam hi versus a fratribus Arvalibus canebantur:

····»incipit *aestas*
Et tepidi finem tempora veris habent [21]).«

ita ut *aestatis* initium simili ratione ab illis celebratum videatur, ac veris exordium a Saliis.

Denique *berber* pro *fervere*, *advocapit* pro *abvocabite* dictum constat apud interpretes, nec de ceteris verbis est quod explicatione egeat.

Hunc in modum igitur verbis tabulae diligenter inspectis atque explicatis, simplicem sanumque habemus carminis sensum cum omnibus quae supra de temporibus solemnium disputata sunt plane congruentem. Ceterum hoc canticum vetustum ut Saliare illud cum tripudio canebatur, atque duos choros alternis versibus agrestes deos celebrasse docet et ipsius carminis verbum *alternei*, et ratio invocationum ter repetitarum, quarum primam a praecentore, secundam ab altera parte chori, tertiam ab altera cantitatam, ut supra de Saliis animadversum est, facile arbitratus sis.

De tempore porro, quo e ritualibus libris, quibus utebantur ad canendum frates Arvales, carmen depromptum et in tabula inscalptum sit, quum constet, Clausenius etiam invenisse sibi videtur, quando in ipsis illis libris perscriptum sit. Nam docere, ait, formam accusativi *Semunis pleoris*, vocativi *Lases*, nominativi secundae declinationis *alternei*, deinde omissam literam *m* in *luerve*, *e* in *sins*, *advocapit*, *berber*, denique duplicatum *r* in *in-*

---

[21]) Ovid. Fast. V, 601. Conf. Burmann. Anthol. Lat. V Epigr. LIV. T. II. p. 343: Ignea vestit agros culmis Cerealibus Aestas. Epigr. LVIII p. 346: Spicea serta gerit calidissima solibus Aestas. Ep. LIX: At fervens Aestas pinguissima frugibus arva (ornat). Ep. LXVI. p. 349: Torrida collectis exsultat frugibus aestas.

currere, majore carmen diligentia perscriptum fuisse quam Scipionum versus sepulcrales, ideoque Sullano demum tempore sacris libris mandatum esse. Antiquiores vero formas: *Lases*, *luerve*, *pleoris*, *berber*, *Semunis* a sacerdotibus antiquitatis priscae studiosis eo usque memoria retentas esse. At hoc genus argumentationis nihil valet. Etenim eodem vel etiam meliore jure, re in contrarium versa, dici potest: antiquissimis temporibus jam literis mandatum fuisse carmen Arvale, e priscis illis verborum formis conspici, recentiores tum demum immixtas esse, cum e libris ritualibus isti versus depromerentur. Praeterea vero de his valet, quod de Saliorum axamentis supra animadvertimus, in sacerdotum populi Romani vetustis libris inter ceteras religiones caerimoniasque etiam has comprecationes deorum esse servatas jam ante incendii Gallici tempora.

VI.

DE CETERIS SACRORUM CARMINUM VESTIGIIS.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis.
Ovidius.

Carmina quaedam in omnibus sacris peragendis a sacerdotibus esse cantitata similis generis ac Saliares Arvalesque cantilenas, rei ipsius natura perspicitur nec demonstratione egere videtur. Ejusmodi vero comprecationes cum ab aliis poetis Romanis ut Catullo, Tibullo, Virgilio in ipsorum usum esse conversae videntur, tum ab Ovidio et breviter tantum permultis locis significatae sunt, et plenius ipsius versibus redditae; ut e precibus ad almam Palem, ad asperam Robiginem, alios deos directis perspicere licet [1]). Namque constat hunc poetam

[1]) Cf. Ovid. Fast. I, 631 (ed. Merkel); II, 424; II, 540; II, 573; II, 656; III, 255. Comprecatio Palis IV, 748—775, Robiginis IV, 911.

praeter fastos Romae urbis et aliorum oppidorum Italicorum antiquissimos secutum esse in fastis suis conscribendis rerum sacrarum fontes [2]), nec dubitari potest, quin etiam libros sacerdotum, in quibus Gellio teste comprecationes deorum immortalium quae ritu Romano fieri solebant perscripta fuerunt, in promptu habuerit ac perlustraverit. Hujusmodi vero de cantilenis nihil haberemus, quod addendum videretur, nisi locus esset apud Dionysium, quem Niebuhrius, ut suam de epico carmine Romanorum continuo defenderet sententiam, adhibuit (Dion. Ant. Rom. I, 79) »*Οἱ δὲ ἀνδρωθέντες γίνονται κατά τε ἀξίωσιν μορφῆς καὶ φρονήματος ὄγκον οὐ συφορβοῖς καὶ βουκόλοις ἐοικότες, ἀλλ᾽ οἵους ἄν τις ἀξιώσειεν τοὺς ἐκ βασιλείου τε φύντας γένους, καὶ ἀπὸ δαιμόνων σπορᾶς γενέσθαι νομιζομένους, ὡς ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἔτι καὶ νῦν ᾄδεται.*« Quo quidem de loco orta est virorum doctorum dissensio, utrum ipsius Dionysii sint haec verba, an Fabii Pictoris, deinde utrum epica sint, an sacra carmina intelligenda, quae Romuli Remique mentionem fecerint [3]). Qua quidem de re dummodo demonstraveris sacra fuisse illa cantica, facile apparebit nihil interesse ad rem nostram, utrum verba Dionysii

[2]) Ov. Fast. I, 7.: Sacra recognosces annalibus eruta priscis. I, 93: Haec ego cum sumptis agitarem mente tabellis. V, 727.: Inspice quos habeat nemoralis Aricia fastos. cf. II, 301; V, 727. Quamobrem Niebuhrius Hist. Rom. III. p. 35 ed. 3. Ovidium in rebus historicis historici testis loco esse habendum jure censuit. Ceterum notum est poetam ea de causa non confecisse opus duodecim librorum propositum, quod exsuli deesse coeperunt fontes, unde res sacras scite haurire posset.

[3]) Niebuhrius et Krausius Rom. Litt. Hist. I. p. 57. Dionysii verba esse volunt, quippe qui vel ipse ista carmina audiverit. Melioribus rationibus freti Ulricius. Char. d. alt. Histor. p. 96, Bernhardius Rom. Litt. Hist. p. 16, Petersenius De Origg. Hist. Rom. p. 3. Fabii Pictoris verba esse judicarunt. Petersen. cum Nieb. epica fuisse carmina, Ulric. et Kraus. sacra arbitrati sunt.

sint, an Fabii, quum fieri non potuerit, quin ab hoc audita etiam usque ad illius tempora servarentur.

Hic primum Petersenius Niebuhrii sententiam secutus in apertum se implicat errorem, quod Ennium Fabiumque Pictorem carmina epica in suum scribendi connexum vertisse dicit, de quibus Catonem ut de re vetustate jam sepulta loqui infra apparebit. Deinde usus verborum ὕμνος et ᾠδή apud Dionysium docet, eum non ἔπη istiusmodi significasse, sed sacras cantilenas, id quod comparatis omnibus locis animadvertere licet [4]. Omnino vero quum Dionysius duobus tantum locis antiquitatum Romanarum carmina ad rerum gestarum auctoritatem firmandam adhibeat, uno quo de Romulo, altero quo de Coriolano agitur, haec potissimum in religiosis solemnibus cantitata esse haud difficile cognoscitur. Nam de Romulo etiam Plutarchus (vit. Num. c. 5.) dicit: »*Καίτοι Ῥώμυλον μὲν οὗτοι παῖδα θεῶν ὑμνοῦσι φήμαις, καὶ τροφήν τινα δαιμόνιον αὐτοῦ καὶ σωτηρίαν ἄπιστον ἔτι νηπίου λέγουσιν;*« ubi de ortu infantiaque Romuli memoratum videmus accedente alio ejusdem scriptoris loco (vit. Rom. c. 28) ubi haec verba leguntur: »*εὔχεσθαι Κυρίνῳ καὶ θεοκλυτεῖν ἐκεῖνον*« [5]. Ipsa igitur horum locorum verba haud obscure sane indicant carmina in solemnibus Romulo deo consecratis cantitata, cujus memoriam quum quotannis Matronalia, Lupercalia,

---

[4]) Dion. A. R. I, 46: *καὶ αὐτὸν (Φαῦνον) ὡς τῶν ἐπιχωρίων τινὰ Ῥωμαῖοι δαιμόνιον θυσίαις καὶ ᾠδαῖς γεραίρουσιν.* III, 18: *τοῖς πατρῴοις θεοῖς εὐξάμενοι.* III, 32: *οὗτοι* (sc. *οἱ Σάλιοι*) *ὕμνους τινὰς ᾄδοντες πατρίους.* II, 34: *θεοὺς τε ὑμνοῦσα* (scil. *ἥ τε ἄλλη πεζῶν τε καὶ ἱππέων δύναμις*) *πατρίοις ᾠδαῖς* cf. VIII, 17 et VI, 9. ubi tamen verba *ὑμνήσει* et *ὑμνοῦντας* nihil aliud est quam laudare seu praedicare.

[5]) Petersen. Or. Hist. Rom. p. 4 nihil curans verba *θεῶν παῖδα, δαιμόνιον, εὔχεσθαι, θεοκλυτεῖν* etiam priorem Plutarchi illum ocum ad epica carmina refert.

Patilia, Lemuria, Asyli dies festi, Quirinalia apud populum Romanum renovarent, horum solemnium carmina et antiquissimi et certissimi erant fontes, unde annalium scriptores fabulas haurire poterant.

Quodsi Dionysius de Coriolano narrat: οὐ γέγονεν ἐξίτηλος ἡ τοῦ ἀνδρὸς μνήμη, ἀλλ' ᾄδεται καὶ ὑμνεῖται πρὸς ἁπάντων ὡς εὐσεβὴς καὶ δίκαιος ἀνήρ.« (Ant. Rom. VIII, 62) etiam hic locus de sacris cantilenis intelligendus est. Nam quum templum Fortunae Muliebri Romae dedicaretur, quod monumentum esset periculi a Coriolano urbi imminentis, mulierum precibus et lacrymis depulsi, fieri non poterat, quin sacris in cantilenis ad hujus deae cultum pertinentibus etiam pudoris pietatisque Coriolani quotannis mentio fieret. Itaque narrationem de hoc templo dedicato ipse Dionysius in sacris sacerdotum libris perscriptam invenit.

Etenim omnino quum iis temporibus, quae summi sunt in historia Romana momenti, templa voveri novaeque religiones institui solerent in memoriam rerum bene gestarum, fieri non potuit, quin sacris in cantilenis ad illas religiones pertinentibus etiam rerum illarum ac virorum a quibus gestae essent, mentio fieret. Sic quoniam Horatius ille Romani imperii servator ad caedem sororis expiandam Junoni Sororiae et Jano Curiatio aras consecrasse dicebatur, in cultu numinum peragendo etiam nobilis tergeminorum fratrum pugnae et facinoris Horatii victoris memoriam comprecationibus quotannis renovari necesse erat eo die quo illae consecratae essent[6]). Pari modo Servi Tullii memoria festo Fortunae publicae, cujus ille cultum templumque constituisset, in animis plebis servata, et Latini foederis a Servio initi, ita ut Romani principatum tenerent, in sacris Dianae recordatio manebat[7]). Eadem ratione Refugii festo die gratiae diis patriis

[6]) Fest. v. sororium tigillum p. 297.

[7]) Ovid. Fast. III, 793 cf. Liv. I, 58.

agebantur pro patria a Tarquiniorum superbia ac tyrannide liberata, et clarissima pugna Regillensis in sacris Dioscurorum, quibus pro auxilio lato Posthumius dictator templum voverat, canebatur[7]); sic denique Coriolani laus, Vejorum funestus exitus, Camilli fortitudo ac superbia, Fabiorum clades, aliae res clarissime gestae quotannis religiosis solemnibus posteritatis memoriae mandatae sunt.

Neque quemquam fugere potest, ut hujusmodi cantica in publicis templis ad tibias canebantur, sic etiam in privatis gentiliciisque patriciorum sacris ministrandis deos gentiles, ipsorum auctores qui putarentur, sacris carminibus adoratos esse; cujus generis fuerunt Potitiorum Pinariorumque in Herculis, Claudiorum in Deae Bonae cultu, Fabiorum et Quinctiliorum in Lupercalibus, Juliorum in Veneris festis diebus celebrandis.

Erant vero ejusmodi carmina non magis epica quam Saliorum axamenta, quibus clarorum virorum nomina appellari solebant, aut naeniae antiquae, aut cantilena illa de Caligulae laudibus a nobilibus pueris puellisque decantari solita, de qua infra agetur; nam id solum spectabant sacerdotes, ut laudes deorum immortalium celebrarentur, et hanc unam ob causam virorum cum illorum cultu historica qualicunque causa conjunctorum mentio facta est. Tota porro haec sacra Romanorum poesis quum certas statutasque comprecandi et invocandi numina contineret formulas, quippe quas mutari religio vetaret, superstitiosa cura a sacerdotibus ad verbum retenta, non eam habebat progrediendi libereque se excolendi et facultatem et opportunitatem, qua epici carminis flos ut apud Graecos procrescere posset.

---

[8]) Liv. II, 20.

[9]) Ovid. Fast. II, 195.

VII.

DE NAENIIS FUNEBRIBUS.

Naenia, quae regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis, et decantata Camillis.
Horatius.

Ut de carminibus quae magnorum virorum laudes comprehendebant apud Romanos recte judicetur, de naeniis in funebribus decantatis, non omissis quantum necessarium videbitur ceteris sepulturae caerimoniis, jam erit agendum, quia earum vi ac natura probe cognita ad carmina convivalia illustranda multum proficitur. Quae propria sit ac genuina naeniae significatio Festus interpretatur[1]: »naenia est carmen quod in funere *laudandi* gratia cantatur ad tibiam.« In eandem sententiam Cicero expositis duodecim tabularum legibus quibus coercere reipublicae Romanae gubernatores funerum luxum voluerint, hanc legem scriptam tradidit: »*Honoratorum* virorum *laudes* in concione memorentur, easque etiam *cantus* ad tibicinem prosequatur; cui nomen *naeniae:* quo vocabulo etiam *Graecis* cantus lugubres nominantur«[2]). Inde quamvis recte judicaverit Niebuhrius Romanas naenias nullo modo Graecarum elegiarum instar esse habendas[3]), tamen submixtam fuisse illis laudibus querimoniam quandam et in natura ingenii nititur, et a Festo observatum est.

Horum igitur carminum quaerentibus nobis, sintne in antiquis literarum monumentis reliquiae, simile certe

---

[1]) Fest. v. naenia p. 161 et 163.: Naenia est carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam··· Sunt qui eo verbo finem significari crediderunt··· Quosdam constat inde ducere verbum, quod et voci similior querimonia flentium sit.

[2]) Cic. de Legg. II, 24.

[3]) Nieb. Hist. Rom. I, p. 271.

quidem carminum genus exstant insignes inscriptiones in Scipionum sepulcris Romae extra portam Capenam detectis a. 1780. et a Viscontio illustratis. Quas quidem sic perscribam, ut additamentis et conjecturis, quas viri docti non pauci inseruerunt, ut normam figuramque versus Saturnii aut ab antiquis grammaticis traditum, aut ab ipsis constitutum explerent, ut ejusmodi, inquam, conjecturis plane abstineam, quum praesertim sponte hi versus ad rationem formamque Saturniorum infra adumbratam accedant [4]).

Est igitur primus titulus rubricatus in sepulcro L. Cornelii Scipionis Consulis a. 456. u. c.

No. 13. *Cornélius Lucíús Scípio Barbátus,*
Gnaivód patre prognátus, fórtis vir sapiénsque,
Quóius forma vírtutéi parisuma fúit,
Consól, censor, aidílis quéi fuit apúd vos,
Taurásiam Cesaunám Sámniom cepít,
Súbigit omnem Loúcanam ópsidesque abdoúcit [5]).

---

[4]) Leguntur hae inscriptiones: Monumenti degli Scipioni publicati dal. Franc. Piranesi Tab. III, IV, V, sq. Lanzi. Sagg. di Ling. Etrusc. p. 150, sq. Orelli Corp. Inscr. p. 149. Egger. Lat. serm. vetust. Reliqq. p. 100, 104, 134, 156. Alii recentiores notati sunt ap. Baehr. Hist. Litt. Rom. T. I. p. 100, not. 13. (ed. 3. 1844). Varie conjecerunt de his versibus Niebuhrius, Grotefendus, O. Muellerus, Hermannus, Henr. Meyerus, Duentzerus. Novissimo tempore prodiit liber: De inscriptionibus, quae ad numerum Saturnium referuntur, scrips. G. Th. Streuber. Turici, 1845. Streuberus igitur p. 1—18 nobis persuadere studet, non Saturnios versus sed prosam orationem inesse in Scipionum inscriptionibus. In hac vero sententia minime sibi constat, quippe qui in ejusdem libelli Addendis p. 45 et 46. Hermanni restitutionem versuum cum supplementis quibusdam factam in Epit. Doctrin. metric. ed. 2. Lips. 1843. certis verbis probet.

[5]) Supplevi ad accusativos literam m. Niebuhrio qui animadvertit in arca versus hujus inscriptionis lineolis disjunctos fuisse objicit Streuber. De. Inscr. q. ad. Sat. rf. p. 14, illum e

Altero in titulo laudatur L. Scipio filius Barbati, consulatu functus a. 494. u. c. Censura 495. Aedilitate 466.

No. 14. *Honc óinom ploirumé consèntiont R(omai)*
Duónorom optumóm fuise virom ...
Lúciom Scipiónem. Filios Barbáti,
Consól, censor, aidílis híc fuet a(pud vos).
Hec cépit Corsicám Alériumque úrbem,
Dedét tempestatíbus aídem meritó [6]).

Tertia inscriptio de Scipione adolescente servata est, qui videtur fuisse alter filius Cn. Scipionis Hispali consulis a. 578.

L. Cornelius Cn. F. Cn. N. Scipio

No. 15. *Magnám sapientiám multásque virtutés*
Aetáte quom parvá pósidet hoc saxúm,
Quoiéi vitam defécit nón honos, honóre
Is híc situs, quei núnquam víctus est virtúte.
Annós gnatus vigínti is térreis mandatús;
Né quairatis honórem, quéi minus sit mandátus [7]).

---

suo ingenio arbitrioque mutasse versus; idem in Addend. p. 46, 47 ex Eggeri. Lat. serm. vet. Rel. intellexit, στίχους inscriptionis ab Italis traditos plane cum Niebuhrii versuum distinctione congruere. Idem p. 14—15 dicit, quum unus quartus versus hujus tituli Saturnii σχήματι conveniat, non Saturnios quales Livius et Naevius composuerint, sed rhythmum tantummodo quendam in titulo inesse. At ne illorum poetarum versus ad metrum grammaticorum accedunt. Ceterum contrariam sententiam Streuber habet in Add. p. 46.

6) In fine primi, quarti, secundi versus quaedam literae vetustate obsitae evanuisse in lapide videntur. v. 1. Grotef: Romani (Nieb.) Melius spatio conveniens Orelli: Romae. Romai praetuli ut ubique in hoc titulo ai pro ae.; v. 2. Grotef. non male supplet: virorum; v. 4. apud vos facile suppletur e titulo praecedenti. Hos versus Streuber l. c. p. 16 facilius patitur Saturniorum similes esse.

7) V. 3. m addidi ad vita, quum vitam et ad verbum defecit, et ad totum sensum, et ad versum melius quadret. v. 5. Ceteri in arca unam literam L animadverterunt, unde Viscont: lausis

Quartus denique titulus ad filium Africani majoris, patrem adoptivum minoris sive Aemilianum pertinere videtur.

No. 16. *Quei ápicem insigne Diális fláminis gessistéi,*
Mórs perfecit túa,-ut éssent omnia brévia,
Honós, fama virtúsque glória atque ingeniúm,
Quibús sei in longá licuísset tibe utier víta,
Facíle facteis superáses glóriam majórum.
Quaré lubens te in grémiúm Scipio recipít
Térra, Publi, prógnatúm Publio Cornéli *).

Similem vero sententiam, qualem secundi tituli primo versu expressam invenimus, Cicero tradit in Atilii Calatini elogio infuisse:

No. 17. *Plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum* *).

Videmus sane proprium civium Romanorum ingenium, quale fuisse quinti saeculi res gestae praeclare docent, etiam in Scipionum monumentis expressum, quo-

---

Grotef.: laudibus. Orell.: laudi. Lanzi Sagg. p. 154. ibi vidit literas T...EIS, cum quo pro illis conjecturis supplendum videtur: terreis, sicut in sequenti titulo v. 7: terra scriptum est; v. 6. mandatus e praecedente versu facile restituitur. Contra Nieb., Grotef., Orell., Meyer, Duentz. negat Streuber fieri potuisse, ut sexto urbis saeculo titulus sepulcralis versu Saturnio conscriberetur l. c. p. 17. At consentaneum erat, morem priscum a majoribus consecratum a gentilibus in sacris patrum sepulcris aliquamdiu, etiam Graecis numeris jam notis, religiose observari.

*) V 3. in fama nominativi vocalem a arsi productam concedendum est, nisi quis praetulerit scribere: honos famaque virtus ctt. v. 5. facteis excidit ap. Orell. Etiam hanc inscriptionem Streuber p. 17—19 negat versus Saturnios habere, p. 45—46 affirmat.

*) Cic. de Fin. Bon. et Mal. II, 35. Epigramma ex hoc Ciceronis loco a Scaligero confictum habet Burmannus. Anthol. Veter. Latin. II, 54. T, I, p. 219.:

Heic situs, unei quoi plurimae consentiunt
Gentes, fuisse virum populei primariom.

niam eas potissimum virtutes celebratas legimus, quibus praediti Romani cum fortissimis gentibus de Italiae dominatione decertantes victoriam reportare valuerunt: sapientiam, fortitudinem, honestatem [10]. Facta patris aemulando assequi, laudem gloriamque majorum meritis aequare, bonorum optimum se praebere virum ut summum elogium in versibus illis passim memoratur; neque honorum magistratuumque notitiam rerumque gestarum titulos ab inscriptionibus sepulcralibus abesse gentilium gloriosa pietas passa est. Quamobrem etiamsi negari non potest, inesse in iis aliquod constans et repetitum, tamen et solatium moeroris e gloria propinqui mortui captum, et gloriosae laudes querimonia quadam de vitae brevitate rerumque humanarum fragilitate mitigatae gravitatem quandam haud indecoram sane verborum et cogitationum efficiunt. Accedit quod pro acerrimo ingenio Romanorum brevia dicta acriter sibi opponuntur, ut: *magna sapientia* et *parva aetas*, neque negligenda est haud rara in versibus illis alliteratio ut: *victus* est *virtute*, non *honos*, *honore*, *minus* sit *mandatus*, *Gnaivod patre prognatus*, *facile facteis*, *Hec cepit Corsicam*, *parva posidet*.

Haec igitur carmina Niebuhrius aut totas integrasque naenias existimavit fuisse in illorum virorum funeribus decantatas, aut certe initia earum [11]. Quae quidem sententia etiamsi per se facile probetur, tamen non avulsas carminum partes, sed integra esse carmina inde conspicitur, quod res gestae virorum omnes in lapidibus illis cum laude et querimonia magis enumerantur, quam

---

[10]) De frugalitate ejusdem temporis animadvertit Lanzi. Sagg. p. 150: I sepolcri trovati monstrano la frugalitá di que' secoli. Questa gran famiglia, a cui Roma doveva la conquista dell' Asia e dell' Africa, non uso' urne di marmo per decoriazione delle sue ceneri.

[11]) Nieb. Hist. Rom. T. I. p. 271. ed. 3.

enarrantur. At vero quod multiplices ac limatos Romanorum numeros lyricos inesse in his carminibus Niebuhrius contendit, ne specie quidem ulla argumenti defendit [12]). Ceterum si verum est quod Quinctilianus animadvertit, ante carmen ortum esse, quam carminis observationem [13]), ubi demonstratum erit simplicia esse, quamvis non indecora, popularis poesis apud Romanos initia, concedendum est etiam artificiosos elaboratosque ejusmodi numeros existere non potuisse.

Naenias igitur apud antiquissimos Romanos aliquo honore floruisse eo intelligitur, quod Naeniae deae sacellum erat ante portam Viminalem dedicatum, ejusque cultus similis ut Carmentae, de qua supra animadversum est, institutus, quum haec in partu, illa in funeribus recoleretur [14]). Deinde quum legis illius duodecim tabularum a Cicerone servatae hunc esse sensum legislatores voluerint, ut claris mortuorum exemplis propositis ad aemulationem superstites incitarentur, consentaneum est non a vilibus praeficis duodecim tabularum aetate, sed a propinquis consanguineisque cantatas esse naenias. Accedit quod in duodecim tabulis, quarum in decima accurate descripti sint funerum sumptus et caerimoniae, praeficarum nomen omnino non legitur [15]). Illarum enim adhibendarum mos usurpari omnino non potuisset, nisi priscis quondam temporibus ipsi gentiles festive deplorare mortuum consuessent; id quod eo quoque confir-

---

[12]) Nieb. ibid. promisit se antiqui grammatici cujusdam libellum editurum, unde hoc ipsum conspiciatur. Niebuhrium vero hic Flavii Sosipatri Charisii testimonio abusum esse censet cum Schneidewino Streuber l. c. p. 13.

[13]) Quinct. Inst. Orat. IX, 4. 115.

[14]) Fest. v. naenia p. 161. August. Civ. Dei. VI, 9. Hartung. Rel. Rom. II, 246.

[15]) Cf. tab. X. e Funcii restit. in ed. Bipont. Ciceron. oper. T. XI, p. 449.

matur, quod Nonius tradit praeficas eorum in funeribus naenias cantare solitas esse, quibus propinqui non exstarent.

Tunc igitur quum simplicia illa carmina lugubria ex intimo animorum dolentium motu profluere videbantur, non est dubium, quin etiam vim quandam illam poesis naturalem ac vivam habuerint; quae quidem lapidi ac scalpro mandata nescio an ad ipsius lapidis duriorem constantiam ab aliqua parte conformata sit. Quare imperatorum aetate, qua multa vitae civilis instituta vetustate obruta denuo ad lucem protracta esse apparet, quum praecipuo studio Augusti funera ornare memoriamque honorare vellent, senatores quidam inter alia compluria censuerunt: »*naeniam* canendam esse *principum liberis* utriusque sexus« [16]). Unde non immerito conjeceris, vetustis quondam temporibus omnino valuisse hunc honorificum in exsequiis amplissimorum in republica virorum celebrandis morem apud populum Romanum. At enim ratione habita reipublicae Romanae, qualis fuerit et regum aetate et primo post illos ejectos saeculo, consentaneum videtur in patriciorum solis funeribus solemnia illa carmina jactata esse illis temporibus. Nam patricii soli honoribus functi, re familiari opulenti, gentiliciis sacris conjuncti et sumptum funerum impendere, et vero elogio carmine efferendo locum praebere posse videbantur, cum plebeji a magistratibus honoribusque publicis prohibiti, nexu et aere alieno oppressi, gentilicia amplitudine carentes, vix possent aliam ac de ipsorum miseriis naeniam cantilenamque cantare. Mutata quidem res est ubi plebejorum gentes ad parem patriciis auctoritatem potentiamque evectae eosdem sibi honores atque jura arrogarunt: mansit tamen, ut in funeribus translatitiis neque tibiae adhiberentur, neque naenia cantaretur, unde et *tacita* sunt appellata. Neque hoc erat

[16]) Sueton. Octav. c. 100.

alienum a rationibus patriciorum, quibus solis duodecim tabularum auctores consulebant [17]), ut suum splendorem carminibus augeri, plebis animos reverentia deprimi rati haec lege sancirent, patriae amoris excitandi gratia factum esse simulantes. An vero alia de causa ludicros hominum de plebe versus crudelissima lege tollendos existimarunt? — Sed de his infra videbimus.

Veram esse hanc sententiam docet etiam contemplatio laudationum pro concione institutarum, quae cum naeniarum ratione tam arcte cohaerere videntur, ut ad hanc ipsam aliquam lucem afferre possint. Dionysius igitur in funere Bruti enarrando vetustum inventum Romanorum laudationes appellat, et in suspenso reliquit, utrum primum a Valerio Publicola res instituta, an a regibus suscepta sit [18]). Quod quum scriptorum locis non constet, veri simile est hunc morem vel antiquiorem esse Publicola, tum primum in historia Romana enarranda memoratum. Quam arcte enim cum naeniarum et epilogiorum ratione conjunctus fuerit, cum ex ipsa tabularum lege quam profert Cicero, tum e Suetonii loco conspicitur, ubi haec leguntur [19]): »Augustum ita pro concione laudasse Germanicum defunctum, ut deos precatus sit: Similes et Caesares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent quam illi dedissent, eundem elogium ejus versibus ab ipso compositis tumulo insculpsisse.« Docet certe uterque locus, consilium fuisse hujus instituti, ut, qui naeniam cantaret et elogium componeret, idem etiam pro concione mortuum laudaret. Itaque laudationum funebrium reliquiae in lapidibus servatae ab acclamationibus, sententiis, versibus sepulcralibus forma tantummodo, non re differunt, cum in utrisque

---

[17]) Cf. Fr. A. Wolff. Antiq. Rom. et Guertler p. 52. sq.
[18]) Dionys. Ant. Rom. V, 17.
[19]) Sueton. Claud. c. 1.

laudes mortuorum cum querimonia superstitum conjunctae appareant [20]).

Quamobrem priscis temporibus gentilibus et propinquis honoratissimum quemque virum pro rostris laudantibus, fieri non potuit, quin patriciorum superbiam hae ipsae laudationes redolerent; id quod intelligitur etiam e fragmento laudationis a Julio Caesare institutae apud Suetonium servato [21]): »Amitae meae Juliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii reges, quo nomine fuit mater: a Venere Julii, cujús gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.«

Jam quum appareat pro rei natura eandem fuisse et naeniae et laudationis rem de qua agatur, proximo hujus libelli capite demonstrabitur, quid sit, quod illa carmina in contemptum abierint, hae orationes magno semper honore floruerint. Etenim deficiente sensim gravitate simplices illos canendi modos ac verba iterum iterumque repetita, quoniam unisona est vox moeroris, totus naeniarum decantandarum usus in externum ornatum caerimoniasque exsequiarum abire coepit. Tum cantandi munus coetui mulierum conductitiarum commissum est, ut mortuum et lamentarentur, et ob res bene gestas laudarent; id quod primum in eorum funeribus, quibus propinqui non essent ad hoc pium munus praestandum, non temere Nonius animadvertisse videtur [22]).

---

[20]) Cf. Orelli Coll. Inscript. p. 331—349; ibidem fragmentum laudationis funebris aetatis Augusteae No. 4859 et No. 4860.

[21]) Sueton Caes. c. 6.

[22]) Nonius v. praeficae cap. 2. p. 64: »praeficae dicebantur apud veteres quae adhiberi solent funeri mercede conductae, ut et flerent et fortia facta laudarent. Cf. Non. v. naenia cap. 3. p.

VIII.

DE CARMINIBUS CONVIVALIBUS.

Virtute functos, more patrum, duces
Lydis remixto carmine tibiis
Canemus. —
Horatius.

Ut suam de carmine epico Romanorum continuo firmaret sententiam, Niebuhrius, praeter interiores quas affert rationes, iis potissimum scriptorum locis usus est ut argumentis, quibus morem fuisse antiquum canendi in epulis apud Romanos traditum est [1]). Sunt vero hi fere loci. Primum Cicero in Bruto [2]): »Atque utinam, inquit, exstarent illa carmina, quae multis seculis ante

---

143: »Naenia ineptum et inconditum carmen, quod adducta pretio mulier, quae praefica diceretur, iis quibus propinqui non essent mortuis exhiberet.« Cf. Naevius ap. Fest. v. praeficae p. 223: Haec quidem mehercule, opinor, praefica est, quae sic mortuum collaudat. Cf. Gell. N. A. XVIII, 7, 3. Hor. Carm. II, 20. Grammaticorum locis, quibus de naeniis cantilenisque vilibus vulgo jactatis referunt, fretus Streuber. l. c. p. 10 argumentatur: naenias, quibus antiquitus mortuos prosecuti sint Romani, vilia quaedam carmina fuisse a mulierculis vulgaribus dicta. At ex iis quae supra de lege XII tabularum, de Augusti funere, de Naenia dea, de praeficarum adhibendarum posteriore demum more, de laudationibus dicta sunt apparet, Streuberum vilem abusum posterioris aetatis cum honorifico usu priscae vetustatis confundere. Itaque frustra reprehendit Niebuhrium, quod naenias convivalibus carminibus et Scipionum titulis contulerit, et temere dicit p. 11: hoc qui probaverit ei etiam carmen epicum continuum cum illo statuendum esse. Contrarium toto hoc libello demonstraturus sum.

1) Erravit primum Niebuhrius, quod Perizonium primum Animadvers. histor. I, 6 hos locos protulisse putavit, cum jam centum fere annis ante illum collecti inveniantur in Corp. Ant. Roman. Rossin. ed. Dempster à Muresk, 1558. lib. V, p. 522.

2) Cic. B. c. 19.

suam aetatem in epulis cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato!« Quo quidem e loco apparere, carmina quae multis ante saeculis cantitata dicantur a Catone, etiam desita esse cantari totidem annis, ea de causa negat Petersenius quod se intelligit sibi deesse, si Catonem ut de more jampridem vetustate sepulto loqui concesserit, Fabium aequalem ejus hos cantus ipsum audivisse affirmaverit. At errasse illum jam supra in Dionysii loco explicando demonstratum est; nec opus esse videtur aut sanum loci Ciceroniani sensum distorquere, aut Catoni ineptiam dicendi imputare.

Canendi in epulis qui fuerit modus, explicat Cicero Tusculanarum Quaestionum loco, ubi et Pythagoreos et Numam favisse cantui fidibusque exposuit [4]: »Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes, ex quo perspicuum est, et cantus tum fuisse rescriptos vocum sonis et carmina. Quamquam id quidem etiam XII tabulae declarant, condi jam tum solitum esse carmen.« Paullo aliter Varro canendi modum descripsit [5]: »In conviviis pueri modesti (aderant) ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, et assa voce et cum tibicine;« cui loco paene contrarium est, quod de eadem re Valerius Maximus tradit [6]: »Majores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent.«

Quid tandem putandum de hac controversia, quod apud alterum pueri modesti canunt, apud alterum natu

---

[3]) Petersen. Origg. hist. Rom. p. 5.

[4]) Cic. Tusc. Quaest. IV, 2.

[5]) Varro ap. Non. v. assa voce. cap. 3, p. 74.

[6]) Valer. Max. II, 1, 10.

majores? Quid porro? Si revera floruit quondam haec poesis apud priscos Romanos, nonne mirificum est, morem tam jucundum ad animos relevandos publicorum privatorumque officiorum laboribus, tam utilem reipublicae ejusque rationibus convenientem, ita periisse apud cives, ut vix peritissimi antiquitatis cognitores sexto urbis saeculo vestigia ejus reperire possent? Quam quidem quaestionem difficilem sane a nemine eorum, qui de his carminibus egerunt, solutam invenio.

Primum quamvis non servatae sint carminum convivalium reliquiae, id certe constare videtur, jam vetustissimis reipublicae temporibus hanc fuisse apud Romanos canendi consuetudinem. Nam et Cicero ad Numam regem ejus originem una cum Saliorum versibus referre videtur his verbis[7]: »non neglecta vis vocum et numerorum, ut mihi videtur, a Numa rege doctissimo majoribusque nostris, ut epularum solemnium fides ac tibiae Saliorumque versus indicant,« et Quinctilianus simile indicasse his verbis videtur[8]: »Sed veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Versus quoque Saliorum habent carmen. Quae quum omnia sint a Numa rege instituta, faciunt manifestum, ne illis quidem, qui rudes ac bellicosi videntur, curam musices, quantum illa aetas recipiebat, defuisse.« Revera autem hoc sapientis legislatoris fuisse, qui et gentem pacis artibus mitigare et reipublicae utilitatibus consulere voluerit, eo facilius concedetur, quod etiam duodecim tabulae legem habuerunt de laudibus clarorum virorum celebrandis.

Quae vero fuerit forma ac proprietas horum carminum, ubi perspicere volumus, indagandum erit, et qualibus in epulis et quomodo cantata sint; qua quidem

---

7) Cic. de Orat. III, 51.

8) Quinct. Inst. Orat. I, 10, 20.

de re aliqua vestigia viam monstrant. Hoc enim quisque ni fallor credet, quod Cicero affirmat [9]), nonnisi in solemnibus quibusdam epulis illa cantari potuisse ut apud ceteras gentes sic apud Romanos, quippe quorum frugalitas cum in omni vita domestica, tum in coenis quotidianis summis scriptorum laudibus tollatur. Ejusmodi vero epulas, nisi de publico fierent, ab iis solis instauratos esse, quorum res floreret familiaris, hosque patricios solos prima reipublicae Romanae aetate fuisse, re ipsa facile patet. Neque quemquam fugere potest, praeter ceteros dies solemnibus epulis celebratos funebria convivia, qualia ab initio fuisse duodecim tabulae docent, majorum memoriam revocare debuisse, ideoque aptissima ad canendum extitisse. In his igitur potissimum illa carmina esse solita esse, cum res ipsa clamat, tum hac argumentatione probatur.

Primum quod traditur antiquos quondam Romanos pro Larium domesticorum sanctissima religione domibus suis sepelivisse [10]) mortuos amatos, egregie consentit cum loco Nonii, unde conspicitur *silicernium* vocatum esse convivium funebre, quod senes *antiquo* more ad sepulcrum cum *defuncti laude* conficere solerent [11]). Deinde XII. tabularum in decima inter ceteras de funeribus leges haec quoque scripta: »*Servilis unctura omnesq circumpotatio tollitor;*« quam Funccius ita interpretatur: »Servorum nemo si diem obierit supremum, unguentis honorator, aut propter eum in funere circumpotatio vel cujuscunque generis epulae instituuntor.« Quod vero a Catone accepimus, *singulos* convivas *deinceps* cantasse in epulis,

---

[9]) Cic de Orat. l. c. de Legg. l. c.

[10]) Serv. ad Virg. Aen. VI, 152.

[11]) Non. v. silicernium c. 1. p 46. Ceterum verbum a luce derivandum videtur nihil aliud esse quam selucernium, quum in Arvali carmine limen pro lumen dicatur ut Elicius pro Elucius.

nonne hoc cum *circumpotationibus* arctissime cohaerere elucet? Nonne putabimus, ut apud nos hodie fieri solet, sic etiam Romanos, prout biberint deinceps, ita deinceps cecinisse in conviviis illis? Nihil enim aliud circumpotatio significare potest.

Quodsi optime Niebuhrius sensisse videtur carmina convivalia illa ipsas fuisse naenias funerum die primum in honorem mortui cantatas, tamen nullo modo sibi constat, quod e cantu a convivis deinceps instituto argumentatur, nemini haec cantica ignota fuisse civi Romano, itaque alium alium excepisse in connexu carminis. Primum enim hic modus canendi ἐκ διαδοχῆς rhapsodorum disciplinam desiderat, quorum ne vestigium quidem apud Romanos fuisse infra videbimus, at de viris inter arma forensiaque studia senescentibus nullo modo statui potest. Deinde ipsius naeniae ratio, quam brevi complecti unius viri facta demonstratum est, vetat, ne illius sequamur sententiam. Postremo quum omni tempore Romanos ad luxum epularum solemnium pronos fuisse, e magna multitudine, quam legimus apud Gellium [12]), legum hunc coercentium conspiciatur, quumque commissationes non tollerentur, ut Cicero ait [13]), nisi fuissent, id quod comprobatur vel Livii narratione de Tarquiniorum intempestivis conviviis, etiam in funebribus conviviis tam copiosam fuisse vini in mortui honorem hausti potionem crediderim, ut, motis praesertim excitatisque dolore animis, vix convivae longiorum carminum connexum accurate memoria tenere possent.

Quid igitur de canendi illo modo censendum est? Quod insito in hominibus sui amore fieri solet, ut poti de se potissimum glorientur, suarumque rerum existant laudatores, idem apud priscos Romanos valuisse arbitror. Hospes igitur, qui ad epulum funebre gentiles amicosque

---

[12]) Gellius N. A, II, 24.
[13]) Cic. de Leg l. c.

vocaverat, primum mortuum propinquum suum naenia celebrabat, poculumque in ejus honorem hauriebat; tum ceterorum convivarum unus quisque deinceps carmen, quod in funeribus patris, seu avi, seu clari alicujus suae gentis viri decantari meminerat, repetebat.

Accedit aliud argumentum, quo recte ita conjici de more canendi illo probatur. Nam quum in duodecim tabulis omnino verbo *carmine* cantilenae illae notentur, contra vox *naenia* non magis quam *praefica* in tabulis scripta fuisse videtur, quoniam loco supra prolato verba: *cui nomen est naeniae* a Cicerone ad explicandam legem apposita sunt. Quare aliquām veri speciem habet conjectura: verbi naeniae usum XII tabularum tempore nondum vulgatum fuisse apud Romanos, quippe qui tunc convivalibus solis carminibus celebrandi mortui morem noverint. Etenim si quidem ad Graecorum exemplorum normam duodecim tabularum leges conscriptas esse constat, Cicerone praesertim omnia de funerum sumptu praescripta a Graecorum institutorum similitudine repetente, non est dubium, quin illo tempore mutati sint multi antiqui funerum ritus ac caerimoniae. Quodsi naeniam Graecum esse vocabulum Cicero affirmavit, itemque Scaliger a Graeco seu Phrygio verbo *νηνίατον* derivat [14]), consentaneum videtur, una cum verbo etiam usum naeniae a praeficis canendae e Magnae Graeciae urbibus Romam pervenisse, ac sensim latius manasse.

Priscis autem temporibus quum hanc fuisse rationem naeniae demonstratum sit, ut ipsi necessarii laudes mortuorum cantarent, multo solemnius virisque in republica claris dignius erat, inter sacra gentilicia defunctique otiosam recordationem, vini libatione ac potione addita, lugubria carmina decantare, quam in ipsa funerum pompa

---

[14]) Cf. de h. v. lexicc. Latt. et Graecc. Pollux. IV. seg. 79.: *τὸ δὲ νηνίατον ’εστὶ μὲν Φρύγιον. ‘Ιππώναξ δ’αὐτοῦ μνημονεύει.*

viaeque publicae tumultu ac perturbatione. Quamobrem solemniorem istum valuisse canendi usum, priusquam in praeficarum inanes voces abiisset carmen, perquam verisimile est.

Ita ubi statuimus, omnes expediuntur difficultates, quae alia ratione explicari non possunt, et declaratur non solum Varronis a Catone diversa moris descriptio, sed etiam quid sit, quod in oblivionem mos abierit. Nam fieri non potuit, quin carminum illorum voces modique in pluribus epulis festivis repeterentur, e quibus Caristia potissimum adhibuerim ab Ovidio ita descripta [15]):

»Proxima cognati dixere Caristia cari,
Et venit ad socias turba propinqua dapes.
Scilicet a tumulis, et, qui periere, propinqui,
Protinus ad vivos ora referre juvat,
Postque tot amissos, quidquid de sanguine restat,
Adspicere, et generis dinumerare gradus.«

Hujusmodi igitur solemnibus in conviviis feminae cum viris cubantibus coenitabant [16]), adhibitosque etiam liberos pueros puellasque more veterum ad fulcra lectorum sedentes, docet Suetonii locus, ubi a Claudio imperatore hunc morem vetustum renovatum esse narratur [17]).

Pueri igitur, qui patres eadem saepius cantare audivissent, fieri non potuit, quin et ipsi simplices modos illos edere mox discerent; id quod optime conveniebat cum consilio et legislatorum et patrum. Quo factum arbitror, quum non jam liberet eadem semper repetere, ut pueris modestis, quos Varro appellat, canendi munus sensim traderetur, quippe quorum et vocum major jucunditas, et promptior novitate esset ad rem ardor.

Videmus sane Caesarum aetate et decrevisse senatores, ut a nobilibus pueris puellisque naenia in Augusti

---

15) Ovid. Fast, II, 615, Val. Max. II, 1, 8.
16) Val. Max. II, 1, 2.
17) Sueton. Claud. c. 32.

funeribus cantaretur, et Caligulae imperatori decretum esse a senatu clypeum aureum, quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente: *»nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum ejus canentibus* [18]). Quae omnia illa aetate, qua delectationis causa non pauca instituta antiqua repetita esse ab imperatoribus apud Suetonium legimus, non facta essent, nisi, hunc fuisse olim apud majores canendi morem, opinio valuisset. Quid multa? Quum a pueris puellisque per aliquod temporis spatium carmen lugubre decantatum esset, eodem modo facile ad servos defluxit, et quaestui inservire coepit. Ita quum procedente tempore forma tantummodo inanis naeniae restaret, omnino placuit a conviviis eam removere, mulierumque certo collegio in ipsa efferendi pompa decantandam tradere.

Omnibus vero argumentis nostris confirmatur, carmina convivalia, eadem ac naenias, quamvis res gestas virorum clarorum continuerint, tamen et ratione et forma non epicas rhapsodias sed lyrica carmina breviora Scipionum sepulcralibus versibus simillima fuisse.

Restat igitur alterum illud quaerendum, num valuerint haec carmina ad confundendam corrumpendamque historiae memoriam, id quod absolvi non poterit, nisi ad laudationes funebres oratio recurrerit. Has igitur omnibus temporibus de honoratissimo quoque in republica viro dictas esse, e compluribus intelligitur scriptorum locis [19]). Quod vero supra cum Niebuhrio statuimus, primum convivalia carmina ut naenias in coenis funebribus edita, post saepius repetita esse, idem de laudationibus animadvertere licet, ut primum quidem pro rostris stante in foro agmine dictae, post aliis oblatis

---

18) Sueton. Calig. c. 16.

19) Cf. Liv. II, 47; v. 50, ubi matronis quoque jus laudationum concessum traditur. Cf. Aurel. Vict. de vir. illustr. c. 62.

opportunitatibus, mutatis fortasse quibusdam mutandis, repetitae esse videantur. Nam antiquam fuisse consuetudinem Suetonii loco legimus [20]), ut, qui honorem in republica adeptus esset, de majoribus suis pro concione memoraret; eundem vero epulis honorificum illum diem celebrasse in aprico est, quo nullus alius aptior inveniri poterat ad laudem majorum carminibus convivalibus celebrandam.

Sic laus modo demortuorum a funeribus ad alias solemnitates translata et carmine et oratione pro rostris in laudem omnium extensa est majorum. Simili ratione in triumphis videbimus facta triumphatorum antiquitus carminibus militum celebrata, ab ipsis pro concione extra urbem more majorum memorata [21]), denique aeneis lapideisve tabulis mandata esse, aut versibus, aut prosa oratione descripta. Sic Atilius Fortunatianus e tabula L. Aemilii Regilli, cujus titulum etiam Livius prosa oratione enarrat, hunc profert versum Saturnium:

No. 18. *Duelló magno diriméndo régibus subigéndis* [22])

---

[20]) Sueton. Tiber. 32.

[21]) Vellejus. Paterc. I, 10, 4.

[22]) Atil. Fort. ap. Putsch. 2679. cf. Liv. XL, 52. Primum de hoc versu Streuber p. 32, ut nobis persuadeat non esse Saturnium, misere errat dicens, primo ejus pede Bacchium tertio Creticum apparere; nam duellum ut bellum disyllabum pronuntiari posse nemo non videt, ita ut spondeum habeamus; et qui dirimen pro cretico habet, is, etiamsi poetarum locos ut Ovid. Metam I, 21, V, 314. id. Fast. VI, 98. nequaquam noverat, tamen e Zumptii Gramm. Lat. §. 22. p. 17. discere et poterat et debebat, syllabam di in dimirere brevem esse. Deinde vero Streuber de tabulis triumphatorum agens p. 22—41, quae apud Livium et alios memorantur, recte quidem judicat, merum esse ingenii et arbitrii lusum virorum doctorum, qui e connexu scriptorum antiqua carmina restituere conati sint; at vero inde, et ex eo, quod sunt nonnullae ejusmodi tabulae prosa oratione conscriptae p. 36, 38, 39, minime sequitur, nullas omnino Saturnio numero compositas fuisse. Quod

et idem e tabula Acilii Glabrionis:

No. 19. *Fundít, fugat, prostérnit máximas legiónes* [23]).

Ejusdem generis tabulam habemus Arretii repertam, cujus in titulo Appii Claudii Caeci res gestae enarrantur, eamque numero Saturnio vindicare non dubito, quod et naturalis verborum accentus cum ictibus versuum ubique conspirat, et una cum versibus etiam periodi cogitationesque exeunt, et exitus versuum simili numero, decursu, sono sibi respondent:

No. 20. *Cómplura oppida dé Samnítibus cepít,*
Sabínorum et Tuscórum exércitum fudít,
Pacém fieri cum Pýrrho rége prohibuít,
In Cénsura viam Áppiám stravit et áquam
In úrbem adduxit; áedem Béllonae fecít [24]).

---

ut demonstret Str., versum tabulae Regillensis nostrum mendacio confictum esse e Livii loco ab Atilio Fortunatiano, quippe qui nusquam ejusmodi tabulam conspicere potuerit p. 32. arbitratur. At quidni ex antiquiore auctore illam notitiam haurire poterat? Quod vero Str. ejusdem fidei labefactandae causa profert: Marium Victorinum ab Atilio expilatum esse, p. 47, contrariam sententiam probant Lachmannus et Santenius (ad Ter. Maur. p. 352. sq.). Ceterum ut antiqua vatum carmina a Livio nequaquam accurate ad verbum reddita sunt, ut de Cincinnati tabula id ipsum Str. concedit p. 23, ita etiam de tabula Regillensi idem statuendum est. Quodsi Livii verba non versus sunt, hac de causa minime potest Atilio fides derogari.

[23]) Non est necesse, scriptum fuerit: fudit, fugavit, prostravit, ut putat Streub. p. 34. Nam etiam in Scipion. titul. I. legimus: subigit et abdoucit, ubi exspectaveris subegit et abduxit.

[24]) Orelli No. 539. Streuber p. 40. hanc tabulam Appio Caeco vivo vel vix demortuo scriptam esse, eo argumento negat, quod Arretium oppidum eo tempore Romanis hostile fuerit. At etiam hic errat. Nam postquam M. Valerius Corvus Dictator 301. a. Ch. Arretinorum motus compressit, (cf. Zumpt. Annal. vett. Regn. et Popul. p. 65.) a. 283. haec civitas foederata et Romanis fidissima est, ita ut ab Etruscis et Gallis Senonibus oppugnetur (Zumpt. l. c. p. 67; Nieb. Hist. Rom. III. p. 499); et notum est, audito Pyrrhi adventu, Romanos ab. a. 281. cum

Fuisse autem laudationes antiquissimum orationum genus literis mandatum, Cicero in Bruto docet, ubi artis oratoriae principia contemplatus etiam suo tempore dicit antiquissimas aliquot mortuorum laudationes exstare, namque ipsas familias ut sua ornamenta ac monumenta eas servasse, et ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam.

Quodsi Gellius affirmat comprecationes deorum, quae ritu Romano fiant, contineri sacerdotum libris et plerisque

---

omnibus Etruscis pacem composuisse diuturnam. Ergo toto illo tempore Arretium oppidum minime hostile. Recentioris vero aetatis esse hanc tabulam quam Scipionum titulos sepulcrales, docent verborum formae: Pyrrhi, Bellonae, cum, aedem, pro quibus Appii Caeci tempore dicebatur: Burrus, Duellonai, quom, aidem. Conjecerim igitur, post devastatam a Sullanis Etruriam non ante Augusti tempora, incipiente Claudiorum dominatione, hanc tabulam aut statutam, aut restitutam in locum deletae antiquioris esse. Nec mirum, ad virum antiquum celebrandum antiquum esse Saturnium numerum adhibitum. Cf. R. Klotz: Handbuch der Lateinischen Literaturgeschichte (Leipzig 1846) T. I. p. 289. not. 298, qui locum corruptum Schol. Bobiens. p. 359, 2. ed Bait. ad Cic. pr. Arch. poet. XI, 27. sic legendem censet: »Hic Brutus Gallaecus fuit cognomento ob res in Hispania non minus strenue quam feliciter gestas. Ejus etiam nomini (nomine) Accii poetae tragici exstat liber, cujus plurimos versus, quos Saturnios appellaverunt, vestibulo templi Martis superscripsit Brutus.« Ceterum hoc carmen de Appio Caeco compositum eundem habet concentum sibi respondentem extremorum verborum versuum, qualem, Germanicae linguae proprium, tamen a poesi Latina non plane abfuisse, docent et Catulli quidam versus et hoc carmen a Cicerone Tuscul. I, 28 servatum:

»Caelum nitescere, arbores frondescere,
Vites laetificae pampinis pubescere,
Rami bacarum ubertate incurvescere.«

Cf. Catull. carm. 23:

»Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo
Vel anseris medullula vel imula auricilla.«

antiquis orationibus [25]) hoc ipsum de laudationibus earumque similibus orationibus valere in aperto est. Itaque et Augustus Drusum Germanicum defunctum ita laudavit, ut precatus sit deos: »Similes et Caesares suos facerent: sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent;« et Aemilius Paulus, quum ante triumphi diem facta sua pro concione memoraret, deos precatus est, »ut, si quis eorum invideret operibus et fortunae suae, in ipsum potius saevirent, quam in rempublicam« [26]). Quod vero ex his colligitur, antiquas orationes illas prope accedere ad comprecationum similitudinem tumido et numeroso dicendi genere, idem inde elucet, quod in sacri juris formulis, quidquid erat iis temporibus eloquentiae forensis, niteretur necesse erat.

Sic videmus non solum initia et poesis et eloquentiae apud Romanos iisdem vitae civilis institutis actibusque provocata esse et apparere, sed etiam e sacris rebus juris, poesis, eloquentiae primordia repetenda esse; id quod comprobatur etiam multifaria verbi carminis significatione. Quamobrem primis crediderim temporibus non multum interfuisse inter carmina et orationes, quibus viri inclyti celebrari solebant, quum in utrisque seu solutior ille poeticus numerus seu numerosa pedestris oratio inesset. Tamen quum quotidiano necessarioque in republica usu excoli, et honore quem pariebat ipsa ali et augeri coepta esset eloquentia, poesis, non eodem quo haec in rebus gerendis usu, mansit in incrementis, ad florem non pervenit. Quin etiam, quum privatim eam excolere externa bella, intestinae dissensiones, etiamsi quis voluisset, non passa essent, non jam repetere placebat, procedente in civilibus rebus populi ingenio ab infantia ad virilem aetatem, easdem semper infantiae cantilenas lege, vetustate, more majorum sancitas. Sic posterioribus temporibus quae exstabant

[25]) Gell. X, 15. XIII, 22, 1.

[26]) Vellejus. Pat. l. c.

poesis specimina, primum neglecta sunt, deinde in oblivionem abierunt.

Inde effectum est, ut naeniae posteriore aetate a vilibus praeficis canerentur, laudationes non solum a nobilissimo quoque instituerentur, sed etiam a familiis in monumentis domesticis servarentur. Itaque hanc habere summam argumentationis videmus:

Quum laudationibus in gentium familiarumque annalibus perscriptis et Livio et Cicerone teste vitiata sit summopere ac fucata historiae Romanae memoria falsis triumphis, magistratibus, honoribus, e carminibus in epulis cantitatis nihil in historiam redundare potuit. Nam nec vulgo canebantur, nec in familiarum annalibus servabantur, et etiamsi perscripta fuissent, id tantum brevius et succinctius sepulcralium versuum ratione indicassent, quod in laudationibus plenius ornatiusque expositum erat. Tota vero haec poesis cum gentilicia patriciorum amplitudine stetisse et jacuisse videtur, eamque ob rem bona ratione Catonem scripsisse arbitror, multis ante suam aetatem saeculis convivalia carmina decantari solita esse.

IX.

DE FESCENNINIS VERSIBUS.

> Conveniunt subito cuncti de montibus altis
> Pastores pecudum vernali luce sub umbra
> Arborea, pariter laetas celebrare Camenas.
> *Beda.*

Quam supra animadvertimus innatam fuisse in animis Italorum superstitionem, obscoenam protervitatem, jocandi aciem facultatemque, eam in tantum expressam videmus in religionibus Romanorum, ut Servius necesse pro ratione sacrorum fuisse judicet [1]), aliqua ludicra et turpia fieri,

[1]) Serv. ad Virg. Georg II, 385.

quibus posset populo risus moveri. Optime vero produnt hanc proprietatem festorum dierum agrestium sanctimonia ritusque. Nam ad ea quae Ovidius de Feralibus et Lemuriis, de Tacita, Carna dea, strigibus tradit[2]), ubi addideris quae de Mania, Lamia, Manduco, aliis larvis[3]), aut puerorum carne vescentibus, aut adultos vario modo maligne vexantibus vulgo horrifica credebantur, facile apparet, in tantam fuisse homines rusticos superstitionis obscuritatem demersos, ut suis quibusdam figmentis illis infernalibus plus verecundiae quam superis diis apud animum tribuerent. Deinde quod supra vidimus obscoenam quandam protervitatem e natura agrestium deorum profectam, idem eo quoque cognoscitur, quod in Agonalibus, Faunalibus, Lupercalibus, Liberalibus, aliis quibusdam diebus festis celebrandis fabellae quaedam semper de illis numinibus obscoenae et lepidae in agricolarum ore versabantur. Est autem eadem semper res de qua agitur coitus libido aut senis, aut anus, vel errore vel dolo vel fortunae iniquitate intercepta. Sic Silenus libidinosus virginem dormientem per tenebras petens asini clamore subito sublato ab incepto desistere coactus deridetur, et Faunus simile meditatus, leonis pelle falsus, incidit in virum omnium maxime virilem, sicuti Maccus ille in fabula Atellana deceptus clamat: Perii! non puella est! Simili ratione Mars Minervae connubium quaerens ab Anna Perenna anu velata in amplexum se offerente deridetur[4]).

---

[2]) Ovid. Fast. II, 531; V, 421; VI, 101.

[3]) Isidor. Origg VIII, 11, 102. Schol. vet. ad Hor. Ep. I, 13, 10. Cf. Hartung. Rel. Rom. I, 71.

[4]) De Sileno Ovid. Fast. I, 391; de Fauno II, 303; de Anna Perenna III, 676. Cf. Fragm. fabul. Atell. apud Munkium de fabulis Atellanis p. 31.

Horum igitur numinum festis diebus, quibus,

»Plebs venit ac virides passim disjecta per herbas
Potat et accumbit cum pare quisque sua,« [5])

fieri non potuit, quin ad jocos ludibriaque multitudo esset pronissima, et:

»Inde joci veteres obscaenaque dicta canuntur;« [6])

quae quidem dicteria cum laudibus deorum agrestium in epulis celebratis ita conjuncta erant, ut in animis agricolarum superstitio vel religio cum protervitate, quemadmodum cecinit Ovidius:

»Conveniunt celebrantque dapes vicinia supplex,
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.« [7])

Agrestium vero cantorum qualis fuerit conditio, docent hi versus:

»Ebrius incinctis philyra conviva capillis
Saltat, et imprudens vertitur arte meri,
Ebrius ad durum formosae limen amicae [8])
Cantat«...

et similes qui in descriptione solemnium Cerealium leguntur:

»Saepe suburbanas rediens conviva per undas
Cantat, et ad nautas ebria verba jacit.« [9]).

Hujusmodi igitur cantilenae joculares et obscoenae *Fescennini* versus appellati sunt, quos post frumenta potissimum horreis recondita ab agricolis *alternos* cum opprobriis rusticis esse jactatos Horatius docet [10]). De

---

[5]) Ovid. Fast. III, 525.

[6]) Ibid. III, 695.

[7]) Ibid. II, 655.

[8]) Ovid. Fast. V, 337.

[9]) Ibid. VI, 407.

[10]) Hor. Ep. II, 1, 145.

Agricolae prisci, fortes parvoque beati
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe fines dura ferentes

nomine vero Fescenninorum quum Festus habeat: »*Fescennini* versus, qui canebantur in *nuptiis*, ex *urbe Fescennia* dicuntur allati, sive ideo dicti, quia *fascinum* putabantur arcere,« priorem interpretationem viri docti plerumque secuti sunt [11]). A quibus discedendum his rationibus videtur.

Quum omnino hoc proprium sit antiquis populis, ut sua instituta a certis semper et personarum et locorum nominibus repetere studerent, ejusmodi etymologiae ab urbium seu hominum nominibus tractae caute adhibendae sunt, ita ut *Fescenninorum* originem a *Fescennia* urbe derivare non majorem habere fidem possit, quam *Caerimoniarum* a *Caere* oppido. Deinde quod tandem potest carminum genus magis esse genuinum apud Romanos, quam hi ludicri versus ex intima indole ingeniorum ac solemnium agrestium vetustissimorum editi? Quodsi ab his vel tantillum diversos fuisse Fescenninos demonstrari posset, credibile fortasse videretur, extrinsecus eos susceptos esse; at ejusmodi discrimen cum minime appareat, non subesse sana excipiendi ratio videtur. Quomodo fieri praeterea poterat, ut ex oppidulo tam exiguo, cujus, nisi de versibus ageretur, vix semel mentio esset facta, mos tam late manans proficisceretur. Quem crederes certe, si revera Etruscorum erat, e majore

---

Cum sociis operum, pueris et conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium, memorem brevis aevi,
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Immerito Zellius Script. Fer. Coll. II. p. 202 nuptialia carmina ab his Fescenninis sejungit. cf. ibid. p. 205.

[11]) Posteriorem interpretationem uno verbo rejicere satis habet Munkius de fab. Atell. p. 13. not. 48. argumento minime sufficiente; priorem probat Zumptius in lectionibus Academicis. Klotzius Jahn. Annal. XXXVIII, p. 119. sq. versus Fescenninos interpretatur: versus fascini seu orationis invidiosae plenos.

oppido ut Faleriis, Vejis cum Roma historica ratione antiquitus conjunctis eo pervenisse.

Ad haec quod Munkius profert [12]) ambiguo Dionysii loco fretus, in oppido Fescennia a peregrinis non frequentato diutius integros mansisse per longum temporis spatium antiquos ejusmodi versus, firmo caret fundamento. Nam primum inter ceteras res antiquas, quas ibidem Dionysius invenit [13]), etiam illos, si vidisset, enumerasset, tum situs oppiduli in via Faleriis Romam ducente effecit, ut non posset non visitari a multis iter facientibus. Praeterea nemo scriptorum suo tempore ibi carmina illa cantitata certis verbis dicit.

At enim *Fescennia* et *Fescennini* non est dubium, quin a *fascino* deducendum sit, quod quidem Verrius Flaccus a *fando* et *fas* derivat, idem alio loco interpretatus: »*Fescemnoe* vocabantur qui depellere *Fascinum* putabantur« [14]). Ut igitur *obscum* seu *opicum* in *antiquis* commentariis *sacrum* vocabatur, a quo etiam verba *impudentia obscena* sunt dicta [15]), sic *fascinum* verbum primum *praefationes incantationesque magicas*, visum nocentem,

---

[12]) Munk. de fab. Atell. p. 13.

[13]) Dionys. Ant. Rom. I, 21: *Φαλέριον δὲ καὶ Φασκίνιον, ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασώζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον. ἐν ταύταις διέμεινε πολλὰ τῶν ἀρχαίων διαιτημάτων, οἷς τὸ Ἑλληνικόν ποτ' ἐχρήσατο, ἐπὶ μήκιστον χρόνον.* Enumerantur tum antiqua illa, Fescenninorum nulla mentione facta. Praeterea de Pelasgicis ibidem religionibus quibusdam potissimum loquitur. Quum prope Falerios fines Etruscorum, Umbrorum, Sabinorum agrum Romanum tangerent, fieri non potuit, quin in via Faleriis Romam ducente crebrum esset commercium.

[14]) Fest. v. Fescemnoe p. 86. vel maxime incerti verbi scriptione K. O. Muellerum secutus sum.

[15]) Fest. v. Obscum p. 189. Paul. D. v.: Obscum dicitur significare sacrum, unde et leges obscatae id est sacratae. p. 188. ibid. v. Opicum.

alia ejusmodi significat, deinde etiam *membri virilis* effigiem, quippe quae res illas magicas et omnino invidiam aut fati aut hominum arcere a rusticis putaretur.

Sic demum intelligitur, qui fuerit *Fascinus* ille deus inter Vestalium virginum sacra adoratus, cujus imaginem et liberi collo gestabant, et in hortis focisque ponebant homines, quum *fascinationes* arcere crederent, quas ut averterent, omnino verbo *praefiscine* utebantur [16]). Quodsi totum Faliscorum agrum usque ad Feroniam oppidum montemque Soracte fuisse prodigiosae superstitiosaeque religionis sedem haud obscuris indicatur vestigiis [17]), pro more appellandi urbes regionesque a rebus sacris, quem nomina Alsium, Caere, Iguvium [18]) docent, facile fieri poterat, ut *Fescennia* regionem sacram ominosamque significaret, qualis Remuria erat in Aventino monte vel tota Albani montis regio, *sedem fascinationum.* Namque eadem ratione locus in agro Vejenti *Obscus*, *opicus* seu *obscenus* vocabatur [19]).

His omnibus reputatis videmus sane verbis *fascinum, Fescennia, Fescennini* eundem subesse superstitionis, obscoenitatis, joci sensum, quo supra cognovimus congruente cum agrestium solemnium indole et ipsorum agricolarum ingenio moribusque versus ludicros jactatos esse.

Jam vero quaerendum videtur, quid sit, quod scriptores plerique Fescenninos versus nuptiales interpretantur.

---

[16]) Plin. H. N. XIX, 4, 15, 5: hortoque et foco tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus in remedio satyrica signa. Cf. Hartung. Rel. Rom. I, 107; II, 258. sq.

[17]) Feroniae in radicibus montis Soractis juxta viam Roma Falerios ducentem sito oppido celebre erat delubrum Feroniae deae, Telluri ac Persephonae affinis. K. O. Muell. Etrusc. II, 66. Ipse mons Soracte diis manibus erat consecratus, et Appollinis ibi cultus arcanus apud pastores florebat. Cf. Hartung. Rel. Rom. II, p. 193. De antiquo cultu Junonis Faliscae cf. Muell. Etrusc. II, 46, 49.

[18]) In tabb. Eugub. iovina a iufe seu iuve (jove) derivandum est.

[19]) Fest. v. obscum.

Ut omnino apud rusticos fascinationes ad animalium potissimum coitum, procreationem, morbos mortemque spectare solebant, sic putabantur vulgo fascinationibus saepe secretis feminae die nuptiarum in mares, mares in feminas mutati esse [20]), id quod etiam fabula de Fauno in virum per errorem indicente significari crediderim. Quae inde facile oriri poterat opinio, quod in Italia ceterorum prodigiorum fertilissima etiam hominum genus, qui androgyni vocabantur, non raro inveniebatur [21]). Ut igitur obscoena fascini effigie fascinationes a pueris arceri putabantur, sic obscoenis jocularibusque illis versibus cum publica voluptate jactatis una fascinationes illae stomachosaeque sexus vices, et omne quod disturbare justas nuptias posset averti et repelli credebatur.

Uberiorem vero habebant homines deridendi cavillandique materiem, ubi aut sponsus, aut sponsa aetate provectior videbatur, quam qui nuptiarum muneribus fungi et posset et deberet. Itaque fabula illa, qua Mars velatam anum pro amata Minerva amplecti coepit, facile colligitur, similes jocos, errores, fallacias in nuptiis agricolarum usitatos fuisse una cum versibus Fescenninis, et in gaudium convivarum et ad veras habitus mutationes evitandas.

Hoc igitur sensu ac ratione apud Romanos obscoena dicteria versibus fundebantur, aut a convivis ante tori portam, aut ab amatoribus ebriis ad amicae limen, aut a laetis agricolis post messem, aut denique a puellis publicis Florae, Veneris Erycinae, Annae Perennae diebus festis [22]). Arctissime igitur cum ipsa natura ac propria facultate harum rerum cohaerebant, ideoque minime uno tantummodo oppidulo orti esse possunt versus Fescennini.

---

[20]) Gellius. N. A. IX, 4.

[21]) Cic. Div. I, 43; Liv. XXVII, 11; Plin. H. N. V, 2.

[22]) De Floralibus cf. Ovid. Fast. V, 339; de Veneris solemnibus ibid. IV, 865.

Quod vero *alternis* versibus, hoc est *occentando* opprobria jactata dicuntur, non dubium videtur, quin etiam gestus faciles et lascivi, ac rude saltationum genus, ut Ovidius locis supra scriptis indicat, non mimicum illud quidem, sed fullonium quod Seneca appellat, cum protervis cantilenis conjunctum fuerit. Tamen K. O. Muelleri sententia nescio an minus probari possit, qua putat in Etruria Fescenninos, ut mimos Siculorum cum saltationibus conjunctos jam in scenam prodiisse [23]). Nam ita si esset, non ludi Etrusci sine carmine et carminum imitandorum actu Romam pervenisse dicerentur; neque intelligi ratio posset, cur hi ludi ac deinde Atellani Romam arcesserentur, si jam Fescennini apti ad scenam fuissent. Omnino vero joci faciles et acuti cum Etruscorum tristitia, taciturnitate, sacerdotali imperio minime omnium gentium Italicarum convenire videntur.

Utrum denique versus Virgilii:

»Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis« [24])

imitationem poetae tempore usitatam personarum in theatris conspectarum apud agricolas significet, an vetustiorem morem, accurate discerni non potest, quamvis ridiculus ornatus, vestis habitusque mutationes, simulati errores, alia ejusmodi ab indole agrestium solemnium epularumque de quibus dictum est nequaquam abhorreant [25]).

Ceterum mansisse haec *convicia festa* quae Seneca appellat eadem licentia, qua triumphalia carmina, ceteris versibus ludicris ejusmodi lege vetitis, etiam usque ad extrema imperatorum tempora, docent versus e Fescenninis Claudii Claudiani in nuptias Honorii Augusti et Mariae compositis deprompti:

---

[23]) K. O. Muell. Etrucs. II, 282. cf. Zell. script. Fer. II, p. 126.

[24]) Virg. Georg. II, 385.

[25]) Sic etiam tibicines Quinquatrum diebus versicoloribus vestibus et personis induti per urbem vagare solebant Liv. IX, 30; Valer. Maxim. II, 5, 4.

»Ducant pervigiles carmina tibiae,
Permissisque jocis turba licentior
Exsultet tetricis libera legibus« [26]).

Nec defuerunt ante Claudium Claudianum, qui Fescenninos componerent, ut Catullus [27]), quippe qui omnino libenter utatur populari sermone, ipse Augustus [28]) Macrobio teste, Annianus denique Gellii aequalis, poeta Faliscus a grammaticis vocatus [29]). Ceterum numerum, quo versus Fescennini componerentur, Saturnio similem esse Livius tradit, res ipsa docet; Creticum vero, quem Diomedes Fescenninum dicit, procedente tempore esse adhibitum ad illos, nequaquam [30]) plane omitti potest, quum etiam infra vestigium hujus numeri inventum habeamus.

Totum vero hoc carminum popularium genus, a rusticis solemnibus ad triumphorum pompam popularem quidem, sed ad civitatem bellicam pertinentem translatum, idem est ac triumphales versus. Nam ut pastores et agricolae inter epulas jocosque rusticos laudabant suos deos, ita milites inter epulas jocosque militares triumphatoris, quippe qui deus paene triumphi die videretur, gloriam laudibus extollere solebant. Quamobrem jam ad hoc genus carminum apte transiri poterit [31]).

---

[26]) Claud. Claudian. IV, 30.
[27]) Catull. carm. 61.
[28]) Macrob. Sat. II, 4.
[29]) Gell. N. A. XX, 8, 1. cf. Crinit. de poett. Latt. c. 76. J. Voss. de poett. Latt. c. 4. Muell. Etrusc. II, 286.
[30]) Diomedes III, p. 475.
[31]) Modos cantusque etiam a nautis remigibusque adhibitos esse, quo facilius laborem perferrent, docet Censorinus de Die Natal. c. 12. cf. Ascon. Pedian. ad Cic. Divinat. V, 17. At ejusmodi cantus nautarum aut certis verbis carere solent, aut in obscoena ludibria abeunt. Itaque si qua erant nautarum carmina, ex quo primum Romani res suas mari commiserunt, a Fescenninis genere non diversa fuisse crediderim.

X.

DE TRIUMPHALIBUS SIMILIBUSQUE VERSIBUS LUDICRIS.

Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros quum comes ibit equos.
Claudius Claudianus.

De carminum triumphalium vi atque ambitu ut judicetur, primum scriptorum loci in quibus rei cardo vertitur introspiciendi sunt [1]). Tradit primum Livius de Cincinnati triumpho: »Epulae instructae dicuntur ante omnium domos: epulantesque cum *carmine triumphali* et *solemnibus jocis* commissantium more currum secuti sunt;« de Camillo triumphante idem haec habet verba: „Dictator, recuperata ex hostibus patria, triumphans in urbem redit: interque *jocos militares*, quos inconditos jaciunt, *Romulus* ac *parens patriae conditorque alter urbis* haud vanis *laudibus* appellatur.« Alius est Livii locus de ovatione C. Valerii Potiti consulis ita scriptus: «Itaque quum ex senatus consulto urbem ovans introiret, *alternis inconditi versus* militari licentia jactati: quibus consul increpitus, Maenii celebre nomen *laudibus* fuit, quum ad omnem mentionem tribuni favor circumstantis populi plausuque et assensu cum *vocibus militum* certaret« [2]).

---

[1]) Duae commentationes quas Baehrius notavit. Hist. Litt. Romm. I, p. 102 not. 6. ed. 3. in manus mihi non venerunt: Nadal, de la liberté des soldates Romains contre ceux, qui triomphent etc. Mem. de l'Acad. d. Inscr. T. III, p. 96. et: Versus ludicri in Romanorum Caesares priores olim compositi. ed. G. H. Bernstein. (Halis Saxon.) 1810. Egit de his versibus Zellius carm. popular. Rom. script. Feriar. II. p. 107.

[2]) Eadem alii non pauci loci indicant: Liv. VII, 10; id. VII, 38. id. X, 30. XXVIII, 9. IV, 20. XXXIX, 7; Dionys. A. R. VII, 72. id. VIII, 86. Plin. H. N. XIX, 41.

Qui quidem loci docent sane, etiam in hoc genere popularis Romanorum poesis esse aliquod, quod scrupulum nobis excitare possit. Primum enim cum tanto in honore triumphus haberetur, ut summi viri in republica hujus diei amplitudinem ut magnificentissimum praemium totius vitae studiis laboribusque quaerendum putarent, nonne offendere videtur, eos hac ipsa in pompa, quos ad coelum laudibus sublatos crederes, militum ludicris versibus vexatos esse? Quid porro? Si laudes quoque triumphantium celebratae sunt cantilenis, quomodo hae cum facetiis et ludibriis convenerunt? Uterque vero scrupulus ratione et facultate horum versuum probe recognita haud difficile evellitur.

Petersenii quidem sententia a ludicris jocosisque militum carminibus secernenda sunt severiora ac graviora quaedam tanti ambitus amplitudinisque, ut vel Livius ea in enarrandis Romanorum rebus secutus sit [3]). Res ergo, opinor, ita se habebat, ut milites longis carminibus epicis facta imperatorum quemadmodum Graeci rhapsodi enarrarent, tum his finitis subito militaria obscoenaque joca jactare coepissent. At enim ipsa Dionysii verba ποιήμασιν αὐτοσχεδίοις [4]) satis docent, non posse has cantilenas rhapsodias tantae amplitudinis fuisse, ut Livius poetica earum praestantia captus in prosam orationem suam verterit. Conspicitur praeterea e Livii loco, jocularia illa triumphorum eodem modo *alternis* versibus cantata esse quo Fescenninos, ut duo chori dictis invicem se provocarent invicemque responderent. Quodsi praeterea Li-

---

[3]) Petersen. Origg. hist. Rom. p. 10.

[4]) Hunc locum Dionysii II, 34 qui est de Romuli triumpho scriptus Petersenius l. c. non novit, quippe qui dicat, primum post reges exactos triumphalium carminum mentionem esse factam. Idem ne suae sententiae noceret, adscripsit locum Livii IV, 20, ubi casu nihil de jocis militaribus certis verbis dictum est.

vius Camillum dicit *inter jocos militares* Romulum haud vanis *laudibus* appellatum esse, in versiculis militum illis severa cum jocis ita mixta atque connexa videntur, ut disjungi pro rei natura minime possint. Atque etiam gestibus motibusque milites vino epulisque exhilaratos gaudium, protervitatem, ludibrium suum expressisse reapse intelligitur, unde totum hoc genus cantilenarum postea saltatiunculae sive ballisteae vocatae sunt.

Docet autem ipsorum hujusmodi versiculorum, quales apud Suetonium servati sunt, contemplatio, ita eos cantitatos esse, ut, quum altera pars militum ducis amplitudinem mirata titulosque factorum in tabulis prolatis inscriptos adspiciens laudem de eo brevibus praedicasset aliquam, altera contra pars joco aliquo ad id ipsum quod illi cecinissent edito responderet. Ita in Caesaris triumpho quum hi jactarentur versus:

No. 21. *Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem* [5]).
Ecce Caesar nunc triumphat, qui subegit Gallias,
Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem.

alteram partem militum cecinisse conjecerim verba: „*Gallias Caesar subegit,*“ ad quae altera, Caesaris foedam cum Nicomede societatem castigans, occentaret: *Nicomedes Caesarem,* quumque illi iterum victoriae gaudio elati clamassent: *Ecce Caesar nunc triumphat, qui subegit Gallias,* hos inceptum jocum continuantes respondisse: *Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem.*

Idem animadvertere licet, his versibus in Caesarem vulgo cantitatis, quum Gallorum principes aliquot in senatum recepisset:

No. 22. *Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam* [6]).
Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.

---

[5]) Sueton. Caes. c. 49. Dolabella Caesarem: pellicem reginae, spondam interiorem regiae lecticae, Curio: stabulum Nicomedis et Bithynicum fornicem appellavit.

[6]) Sueton. Caes. c. 80.

qui versus quamquam non in ipso triumpho agendo edita narrantur, tamen eandem quam isti speciem prae se ferunt. Nam quum omnino civis Romani et militis esset unum idemque officium, etiam triumphus non militum solum, sed omnium civium dies erat festus, cujus solemnia cum religione Capitolinorum deorum arcte conjuncta essent. Quare in gente bellicosa castrorum quotidianum contubernium aptissimus erat locus, unde ludicri versus in principes civitatis compositi etiam latius in populum manare possent. Itaque etiam a gladiatoribus simile versiculorum genus jactatum esse docet Festus his verbis: »Retiario pugnanti adversus murmillonem cantatur:

No. 23. *Non té peto piscém peto · quid mé fugis Gallé?*

quia murmillonicum genus armaturae Gallicum est, ipsique murmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat« [7]). Hic quidem puerilis illa ratio qua *retiarius* adversarium velut *piscem* in *rete* allicere et mulcere tentat, in summo praesertim vitae necisque discrimine, acutam sane ridiculamque quandam habet vim.

Hoc vero occentandi more omnes ejusmodi versus ludicros vulgo jactatos Romae ortos esse, ex iis quae Suetonius servavit exemplis conspicitur.

Sic in Neronem, quum matrem occidisset urbemque suae delectationis causa ingenti incendio inflammasset, caesis praeterea in Britannia, in Armenia sub jugum missis legionibus, hi lepidissimi versiculi sunt vulgati.

No. 24. a) *Quis negat, Aeneae magna de stirpe Neronem?*
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

b) *Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,*
Noster erit Paean, ille ἑκατηβελέτης.

---

[7]) Fest. v. Retiario p. 285.

c) *Roma domus fiet: Vejos migrate Quirites,*
Si non et Vejos occupat ista domus[8]).

Hic primo in disticho oppositis acerrime severis et jocis adhibitoque eodem verbo hic translato, illic proprio sensu, Nero cum Aenea comparatur, in altero lepide *Nero citharam tendens*, dum Romae incendio Trojae exitium imitatur, Apollo *Paean*, *Parthus* vero *sagittis* Romanas aquilas *caedens* eminus ἑκατηβελέτης Apollo perhibetur, in tertio *Aurea* illa *domus* Neronis carpitur, unde pernicies *Gallico incendio* similis in urbem irrepserit. Simili ratione acutissimi sales oboriuntur, ubi verbo semel posito duplex sensus inest, versu apud Vellejum scripto. Nam quum tertii triumvirati tempore Antonius Lucium Caesarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proscripsissent, inter jocos militum Lepidi Plancique currum secutorum et inter exsecrationem civium hic versus usurpatus est:

No. 25. *De Germanis, non de Gallis duo triumphant consules*[9]).

in quo simplicissime dicto verbi *Germanis* ambiguo sensu acerbissimos adversus homines cruentos odii stimulos latere videmus. Acerrime porro pungunt Caesaris factum hi acutissimi versus:

No. 26. *Brutus, quia reges ejecit, Consul primus factus est*[10]).
Hic, quia consules ejecit, Rex postremo factus est.

ubi sales in eo nituntur, quod verba, in utroque versu praeter hominis et temporis notitiam fere eadem, simili-

---

[8]) Sueton. Nero cap. 39. In hoc carmine ter versus versui opponitur, unde viri docti in tria epigrammata carmen disposuerunt. Cf. Burm. Antholog. Vett. Latt. II, LXXIX, sq. cum not.

[9]) Vellej. Pat. II, 67.

[10]) Sueton. Caes. c. 36. Burm. Anthol. II, LXI. p. 220.

tudinis quandam speciem inter ambos viros intercedentem simulant, quum per vices contrariis locis posita plane diversum oppositumque praebeant sensum.

Est vero haec omnino epigrammatum propria facultas ac forma, ut duos homines loquentes audire tibi videaris, quorum quum alter aut quaesiverit de quacunque re, aut praedicaverit, quod exspectationem audientium intendat, alter praeter exspectationem joco aut ad interrogata respondeat, aut dicta illius explicet. Cujus rei exemplum est carmen, quod in Othonem enotuisse narrat Suetonius, cum ille, diducto matrimonio a Nerone uxoris ipsius cupido, per speciem legationis in Lusitaniam delegatus esset.

No. 27. *Cur Otho mentito sit, quaeritis, exsul honore?*
Uxoris moechus coeperat esse suae [11])

ubi augetur ridiculi vis illa dicendi figura quam Graeci ὀξύμωρον vocant. Eadem ratio in Martialis epigrammatibus, iis praesertim quae duobus tantummodo versibus constant, animadvertitur; quo de genere facetiarum Cicero optime: »scitis, ait, esse notissimum genus ridiculi, quum aliud exspectamus, aliud dicitur. Hic nobismet ipsis noster error risum movet. Quodsi admixtum est etiam ambiguum, fit salsius« [12]).

Itaque eandem quam in epigrammatibus, in antiquis cantilenis triumphalibus cognoscimus indolem occentandi alternis versibus more ortam, unde sequitur, has ipsas illarum esse simplicia atque incondita primordia. Quae quidem sententia egregie confirmatur duobus carminibus a Spartiano servatis, quibus Julius Florus et Hadrianus imperator sibi occentant per literas:

Incantatio Julii Flori:

No. 28. *Ego nolo Caesar esse,*
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

---

[11]) Sueton. Otho. c. 3. Burm. Anthol. II, XCII. p. 236.
[12]) Cic. de Orat. II, 62.

Hadriani responsum:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundas [13]).

quae quidem carmina simplicia et faceta popularem speciem ita prae se ferunt, ut hujusmodi cantilenis αὐτοσχεδίαις annumerare non dubitem, quum praesertim Hadrianus acerrimus fuerit et ad lacessendum et ad respondendum joco, carmine, maledictis.

Quae quum ita sint, Martialis epigrammatibus suis eandem vindicare studet licentiam, qua milites in triumphis uti soleant [14]), non ignorans ille, quam sint affinia haec carminum genera.

De numero trochaico horum versuum quoniam constat inter viros doctos, non mirum est, quod, suscepto ad epigrammata scribenda a doctis poetis disticho Graecorum, etiam popularia carmina hoc numero composita sunt. Hujus generis igitur quaecunque exstant abscribam

In M. Bibulum. Cos.

No. 29. *Non Bibulo quidquam nuper, sed Caesare factum est,*
Nam Bibulo fieri Consule nil memini [15]).

In C. J. Caesaris adulteria.

No. 30. *Urbani servate uxores, moechum calvum adducimus.*
Aurum in Gallia effutuisti: hic sumpsisti mutuum [16]).

In C. Caesarem Octavianum Augustum.

No. 31. *Quum primum istorum conduxit mensa choragum,*
Sexque deos vidit Mallia, sexque deas:

---

[13]) Spartian. Hadr. c. 13. cf. Anthol. Latin. Burmann. Lib. II. Ep. XCVIII, pag. 239.

[14]) Martial. Epigr. I, 4, 3:
»Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet esse ducem.«

[15]) Sueton. Caes. 20. Burm. Anthol. II, LXII, p. 220.

[16]) Sueton. Caes. 51. Burm. l. c. LIX.

Impia dum Phoebi Caesar mendacia ludit,
Dum nova divorum coenat adulteria,
Omnia se a terris tunc numina declinarunt,
Fugit et auratos Jupiter ipse toros [17]).

Subscriptum statuta Augusti.

No. 32. *Pater argentarius, ego, Corinthiarius* [18]).

In Augustum.

No. 33. *Postquam bis classe victus naves perdidit,*
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam [19]).

In Cl. Tiberium Caesarem.

No. 34. a) *Asper et immitis, breviter vis omnia dicam?*
Dispeream, si te mater amare potest,

b) *Non es eques! Quare? Non sunt tibi millia centum,*
Omnia si quaeras; et Rhodus exsilium est.

c) *Aurea mutasti Saturni saecula, Caesar,*
Incolumi nam te, ferrea semper erunt.

d) *Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem,*
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.

e) *Adspice felicem sibi, non tibi, Romule Sullam:*
Et Marium, si vis, adspice, sed reducem;
Nec non Antoni civilia bella moventis,
Nec semel infectas adspice caede manus:
Et dic, Roma perit: regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exsilio [20]).

---

[17]) Sueton. Octav. c. 70. Burm. Anth. II, LXX. p. 224.
[18]) Sueton. Octav. l. c.
[19]) Sueton. Octav. 70. Burm. Anth. II, LXVI. p. 223.
[20]) Sueton. Tib. 69. Etiam hoc carmen, ubi priore parte quater versus versui respondet, apud Burm. Anth. II, LXXIII. sq. p. 227 in quinque carmina dividitur.

In Germanicum Caesarem.

No. 35. *Salva Roma, Salva patria, Salvus est Germanicus* [21]).

De Caligula Caes.

No. 36. *In castris natus, patriis nutritus in armis*
Jam designati principis omen erat [22]).

De Servio Sulpicio Galba Caesare.

No. 37. *Disce miles militare, Galba est, non Gaetulicus* [23]).

In Ventidium Bassum.

No. 38. *Concurrite omnes augures, haruspices:*
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat, consul factus est [24]).

In Sarmentum scurram.

No. 39. *Aliud scriptum habet Sarmentus; aliud populus voluerat.*
Digna dignis. Sic Sarmentus habeat crassas compedes,
Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget [25]).

Puerorum saltatiuncula in Aurelianum.

No. 40. *Mille, mille, mille, mille, mille (mille) decollavimus;*
Unus homo mille, mille, mille (mille) decollavimus;
Mille, mille, mille vivat qui mille, mille occidit.
Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis [26]).

---

[21]) Sueton. Cal. 6.

[22]) Sueton l. c. 8. Burm. Anthol. II, LXXXII. p. 229.

[23]) Sueton. Gall. c. 6.

[24]) Gell. N. A. XV, 4, Burm. Anthol. II, CXXIX. p. 307.

[25]) Schol. ad Juvenal. Sat. V, 3. Burm. l. c. CXXZII. p. 306.

[26]) Vopisc. Aurel. c. 6. In versu primo et secundo mille postremum abundare videtur. Ceterum rhythmus horum versuum ad cantandum saltandumque aptissimus est.

In eundem ballistea.

No. 41. *Mille Francos, mille Sarmatas semel et (semel) occidimus.*
Mille, mille, mille, mille Persas quaerimus [27]).

Tota vero hac quaestione apparet, Petersenii sententiam esse falsissimam, nec magis versus triumphales longiora fuisse epica carmina, quam Martialis epigrammata. Ut vero perspiciatur, num quid in historia condenda habuerint momenti cantilenae, quaerendum videtur, quid sit, quod in ipsum potissimum imperatorem directae fuerint.

Hic vero probe considerandum est, in omnibus civitatibus, ubi penes populum summa rerum est, oriri acerrimam quandam artem dialecticam diversarum partium studiis provocatam et nutritam, quae, si quid esset alicujus sententia de rebus praedicatum, statim opposita quaedam vel debilia in iisdem vel ridicula invenire et reprehendere homines doceret. Deinde ut omnino carmina convicium facientia ab inferioribus plerumque in superiores, rarius a paribus in pares, nunquam fere a superioribus in inferiores conduntur, ita apud Romanos quoque fieri non potuit, quin plebeji oppressi antiquissimis temporibus odium acerbum suum adversus patricios tyrannos suos exprimerent:

»Currumque secutus
Laurigerum festo fremuisset carmine miles [28]).«

Itaque patricii offensi et illusi ejusmodi versiculis legem sanxerunt, ut, si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri, fustuario periret supplicio. Cujus legis [29]) eandem proferebant sine dubio patricii causam, quam Cicero duode-

---

27) Vopisc. Aurel. c. 7.
28) Claud. Claudian. de laudib. Stilicon. II, 20.
29) XII Tabb. Rest. Funci. VII, 8. cf. August. de Civ. Dei II, 9. Cic. de Rep. IV, 10.

cim tabularum laudator paullo indulgentior: quod vitam famamque civium poetarum conviciis subjectam majores habere noluerint. At non viderunt sane legislatores ac reipublicae gubernatores illi, non iisdem pati se poesin quibus rempublicam legibus coerceri; id quod docuit posterior aetas, quum ejus poesis, quam juvare legibus volebant, vix vestigia quaedam procedente tempore restarent, ea, quam opprimere iisdem studebant, in proprium Romanae saturae et epigrammatis genus amplificaretur. Quodsi etiam imperatorum aetate Domitius scripta famosa vulgoque edita, quibus primores viri ac feminae notabantur, non sine auctorum ignominia abolevit [30]), inde colligere licet, et quanta fuerit libera republica carminum licentia, et in principes maxime civitatis ea jactata esse.

Pro illo igitur ingenii acumine quum milites exsultantes etiam in summo duce arriperent quaedam debilia, quae ad ipsos communemque hominum conditionem illum ad deos paene elatum detraherent, aut familiaris joci minime maligni plena erant illa carmina, aut superbiae, crudelitatis, avaritiae flagitia vel peritorum ducum acutis facetiis carpebant, variis in varia rerum conditione dicteriis. Quin etiam, ut invidia hominum et fati obscoenis Fescenninis versibus a nuptiis arceri putabatur, sic militum cantilenae saltatiunculaeque, quas non minus pronas fuisse in lascivam protervitatem vidimus, a capite triumphatoris superbo deorum invidiam iramque avertere videbantur.

Omnino vero facetias vulgares apud Romanos in verbis potissimum constitisse, facile tibi persuaseris. Qua de re Cicero bene animadvertit: »Nam quod, quibuscunque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur: quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem« [31]). Faciamus igitur examinandi gratia

---

[30]) Sueton. Dom. c. 8.

[31]) Cic. de Orat. II, 62.

[32]) Sueton. Tiber. c. 42.

quod jubet M. Tullius: quid tandem restare videbitur, si quid in ludicris versibus illis, aut in Plauti facetiis eum in modum mutaverimus? Adde castrensis ut ita dicam militarisque joci hoc quod Suetonius habet specimen: »In castris (Tiberius) tiro etiam tum propter nimiam vini aviditatem pro *Tiberio Biberius*, pro *Claudio Caldius*, pro *Nerone Mero* vocabatur [32]).« Videmus idem sane facetiarum genus, quod Francogalli appellant Calembourg, etiam Berolini in viis publicis cauponisque a plebe libenter et acute jactatum. At sales isti, quos Cicero praedicat Atticis salsiores, carent pulchri rectique studio, quod ne ab epigrammate quidem ac satira abesse volumus, et acetum illud Italicum haud raro obscoenum redolet. Sic quum Caligula densissimo et laetissimo obviorum agmine *sidus* et *pullus* et *puppus* et *alumnus* appellaretur [33]), similibus appellationibus etiam ceteros triumphantes laeto carmine salutatos esse, nullam habet dubitationem. Ita ipsius *Caligulae* nomen familiari militum joco inventum jactatumque est, itemque P. Scipio *Nasica* vulgari familiaritate *Corculum* dictus [34]). Quid igitur? Nonne cognomina haec: Coriolanus, Maximus Corvus, Torquatus [35]), Cursor, Cunctator, Africanus, Asiaticus, Numidicus, alia innumera ita orta esse videntur, ut carmine triumphali primum a militibus jactarentur. Nam publica voluntate, non senatus decretis inveniuntur haec cognomina, et in vulgarem usum abeunt; tum senatus auctoritate confirmantur et sanciuntur. Quid enim? Nonne omnia apud Romanos cognomina inde addita esse videntur, quod homines acuti, proni ad omne

---

[33]) Sueton Calig. c. 13.

[34]) Aurel. Vict. de Vir. Illust. c. 44.

[35]) De Torquato Livius scripsit VII, 11: Inter carminum prope modum incondita quaedam militariter joculantes, Torquati cognomen auditum; celebratum deinde, posteris etiam familiaeque honori fuit.

animadvertendum, quod consuetum modum excederet, sive in facie habituque hominum, sive in rebus gestis conspicuum, sive id ridiculum, sive stomachosum, sive mirandum videretur, celeriter nomine notarent ac figerent?

Non est hoc sane negligendum; docet enim, res a scriptoribus traditas, quae iis a quibus gestae sint cognomina vindicarint, nec carminis epici liberali impetu, ut de Torquato, Coriolano, Corvo statuit Niebuhrius, nec familiarum vanitate ac superbia inventas esse; sed mansisse haec cognomina publico cum gaudio tributa, viva in gratis civium animis magnorum virorum monumenta. Itaque est sane aliquid carminibus triumphalibus ad condendam historiam momenti tribuendum; at non ad corrumpendam sed potius ad confirmandam ejus fidem.

E succo et sanguine, ut dicunt, nationis ortum esse totum ludicrorum carminum genus, etiam inde intelligitur, quod ea aetate, qua Graecis literis Roma illustrari coepta est, hoc poesis antiquae Romanisque propriae genus et Naevii, Ennii, Lucilii satiris excultum atque amplificatum, et a Catullo poeta vere populari acerrimis versibus in Caesarem ejusque clientem Mamurram compositis expressum est [36]).

Unum vero est, quod hoc bene perpenso nescio an ad carmina convivalia referri possit. Nam ut in epulis rusticis et commissationibus triumphalibus pollebat jocandi irridendique impetus ac licentia, sic consentaneum est etiam in patriciorum conviviis, quippe quorum in venis idem flueret Italicus sanguis, severitati ac gravitati gentiliciae etiam dicteria passim atque jocos submisceri coeptos, vino animos excitante. Crescente tum plebejorum in republica libertate crescebat civilis jocandi et illudendi ratio, ita ut posteriore tempore nec Cicero nec Cato in concione, curia, foro a facetiis abstinerent. At vero negari non potest sublimiorem impetum canendi

---

[36]) Cf. Catull. carm. 29, 54, 59.

fingendique cum salium quaerendorum illo studio stare ac florere non posse. Quamobrem si qua etiam tum jactata sunt in epulis carmina αὐτοσχέδια ad res majorum ab aliqua parte spectantia, tamen horum erat non multum diversa a triumphalibus versibus ratio. Hoc igitur sensu cecinisse Horatius videtur:

»Inter jocosi munera Liberi
. . . .
Virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
. . . . canemus« [87]).

Hanc plebejam igitur quodammodo poesin eodem modo valuisse dixerim ad exstinguendam antiquam patriciorum illam, ut plebeji patriciorum privilegia sensim aboleverunt.

XI.

DE SATURA ANTIQUA.

. . . . Immunda crepent ignominiosaque dicta;
Offenduntur enim quibus est equus et pater et res.
Horatius.

Notum est biennio postquam primus de plebe consul factus est (a. 364 a. Ch.), pestifero morbo grassante in finibus Romanis, ludos esse ex Etruria accitos, non quod ars placeret, sed quia consueverant Romani pro arte civili, irruentibus in civitatem gravibus calamitatibus, ex Etruscorum disciplina religiosa consilium opemque quaerere. Quae saltationes sine carmine ullo, sine carminum imitandorum actu institutae, ut tradit Livius, quamvis omni mimica ratione caruisse videantur, tamen cur extrinsecus exciperentur, nulla ratione intelligi posset,

---

[87]) Horat. Carm. IV, 15, 24. sq. cum schol. vet; cf. I, 12.

nisi magnificentiores ac magis decorae fuissent, quam illud genus saltandi, quod Dionysius in omnibus sacris Romanorum antiquitus usitatum tradit [1]), Senecae comparatio quam novimus haud ita splendidum fuisse docet; sicuti sacerdotes Salii atque Arvales, aut Fescenninorum rustici actores exsultare solebant. Ab hoc quod Dionysius alterum discernit saltationis genus apud Romanos, ab actoribus imitantibus effigiem habitumque Satyrorum ac Silenorum institutum, primum de sua aetate loquitur, ubi prisca Romanorum instituta jam Etruscis et Graecis additamentis vario modo immutata erant, tum satyricum drama Graecorum cum ἐπιχωρίᾳ κερτόμῳ καὶ σατυρικῇ παιδίᾳ Romanorum confundit, sicut omnino Romana a Graecis repetere solet [2]).

Receptis igitur Etruscis ludis, novum impetum cepisse popularis Romanorum poesis videtur. Nam comparatis Dionysii verbis cum Livii loco (VII, 2) in quo tota de satura quaestio instituenda nititur, apparet juvenes Romanos histrionum Tuscorum magnificos motus imitando in ridiculum vertisse, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus, ita ut non absoni a voce motus essent. Addit haec Livius: »Accepta itaque res saepiusque usurpando exci-

---

[1]) Dion. Halic. A. R. II, 71: ἐπιχώριον δέ Ῥωμαίοις καὶ πάνυ τίμιον ὁ κουρητισμός. ctt.

[2]) Dion. A. R. VII, 72.: οὐ μόνον δ'ἐκ τῆς εὐαγωνίου τε καὶ κατεσπουδασμένης ὀρχήσεως τῶν χορῶν, ἣ παρὰ τὰς θυηπολίας τε καὶ πομπὰς ἐχρῶντο Ῥωμαῖοι, τὸ συγγενὲς ἄν τις αὐτῶν τὸ πρὸς τοὺς Ἕλληνας ἴδοι, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς κερτόμου καὶ τωθαστικῆς. μετὰ γὰρ τοὺς ἐνοπλίους χοροὺς οἱ τῶν Σατυριστῶν ἐπόμπευον χοροὶ, τὴν Ἑλληνικὴν εἰδοφοροῦντες σικίννην. σκευαὶ δ'αὐτοῖς ἦσαν, τοῖς μέν εἰς Σιληνοὺς εἰκασθεῖσι . . . . τοῖς δ'εἰς Σατύρους . . . . . . οὗτοι κατέσκωπτόν τε καὶ κατεμιμοῦντο τὰς σπουδαίας κινήσεις, ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες · δηλοῦσι δ'αἱ τῶν θριάμβων εἴςοδοι παλαιὰν καὶ ἐπιχώριον οὖσαν Ῥωμαίοις τὴν κέρτομον καὶ σατυρικὴν παιδίαν. ctt.

tata, vernaculis artificibus, quia hister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum, qui non sicut ante Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis jaciebant; sed impletas modis saturas, descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti, peragebant.«

Hae igitur saturae ut cognoscantur, quales fuerint, investigandum est praecipue, qua ratione a Fescenninis versibus diversae fuerint. Primum igitur jam Casaubonus demonstravit, saturam Romanorum antiquam plane sejungendam esse a Graecorun satyrico dramate, nec nisi fortuitas quasdam similitudines rerum externarum intercedere inter utrumque genus, quibus antiqui grammatici in errorem se abduci passi sint[3]). Deinde Stievium, qui colligit e Livii verbis, saturas e poetis quibusdam ratione compositas esse[4]), refellit Munkius[5]), qui non totas saturas cum saltatione cantatas esse arbitratur, sed verba: »*impletas modis saturas*« interpretatur: *singula* tantum *cantica* sermonibus immixta, et *saturae* nomen a conjunctione verborum, cantus, saltationis dictum repetit. At enim videmus in omnibus fere de quibus egimus popularis poesis generibus harum rerum exstitisse rudimenta conjuncta, ideoque ratione carere videtur, quod hoc unum genus saturarum inde potissimum nomen traxerit. Itaque rectius Casaubonus pro significatione verbi satur, qualem in Arvali carmine habuisse vidimus, inde esse appellatam saturam censet, quod non certo contineretur rei argumento, sed omnino ut farciminis quoddam genus mixtum variumque mores agricolarum vitamque vulgarem, admixtis jocis, dicteriis, ambiguitatibus obscoenis, personis

---

[3]) Casaubonus: De Satyrica Graecorum poesi et Romanorum satira 1605; iterum eddidit Rambachius 1774. II. 4. p. 245. sq. Cf. Ruperti Prolegg. ad Juven. Vol. I. p. XI. sq.

[4]) Stieve de rei scen. ap. Rom. orig. p. 40. sq.

[5]) Munk de fabul. Atell. p. 15.

denique vestisque mutationibus, in scenam conspectumque produceret spectatorum [6]). At ne hoc quidem ad explicandum proprium verbi sensum sufficere videtur, qui multo praegnantior hac ratione explicatur. Quum festis diebus post messem celebratis et certa quaedam hominum genera, ut senes libidinosi, anus impudentes, scorta, amatores insulsi, cum gaudio publico deriderentur, id quod supra de Faunis, de Anna Perenna, de puellis publicis vidimus, et satura lanx in templum Cereris variis primitiis sacris referta portaretur, facillime fieri potuit, ut joci illi cum hac solemniter conjuncti et ipsi saturae appellarentur.

Quid igitur? Num hae saturae plane eaedem fuerunt ac versus Fescennini? Nihil vero minus; sed haec potius ratio inter utrosque intercedebat: Quae primum a *veris personis* rudi et incomposito more per *Fescenninam* licentiam in agris viisque publicis ludebantur, procedente tempore cum saltationibus tibiisque Etruscis in urbanam scenam recepta, et sub *fictis personis* acta sunt in *satura antiqua.* His vero fabulis quoniam fieri non poterat, quin argumentum ejusmodi ridiculum subesset, quale amari a multitudine supra de Fescenninis vidimus, etiam certae statutaeque personae quaedam in ludibrium risumque spectatorum productae non poterant abesse a carminum popularium genere, quod per viginti et centum fere annos literis mandatum non esset [7]). Hac vero ratione verba Livii: *descripto* jam ad tibicinem *cantu* ita facile

[6]) Casaub. l. c. p. 250; cf. Schober de fabb. Atellan. p. 6. Tres explicandi rationes profert Diomedes III. p. 484. Putsch.: »Satira dicta sive a Satyris, quod similiter in hoc carmine ridiculae res pudendaeque dicuntur, quae velut a Satyris proferuntur et fiunt, sive a Satura lance, quae referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur; vel a copia et saturitate rei Satura vocabatur. A lance recte derivat K. O. Zell. l. c. p. 134.

[7]) Si quidem ludi Etrusci 364. a. Ch. Romam pervenerunt; ludi Osci brevi post Livii Andronici primam fabulam Romae actam a. 241.

explicantur, ut cum constanti argumenti genere statutisque quibusdam personis etiam certi et simplices canendi saltandique modi conjuncti fuisse videantur.

Praeterea vero nemo negare poterat, cives Romanos has saturas peragentes nullo modo a facetiis ad rempublicam spectantibus abstinuisse, id quod triumphalibus militum versibus vel summi momenti fuisse vidimus. Itaque hanc licentiam res hominesque in republica conspicuos illudendi cum crescente plebejorum libertate ac potentia augeri latiusque manare consentaneum erat. Ut vero supra vidimus epigrammata e more illo occentandi in rusticis solemnibus et triumphis orta et concreta in unum esse, sic satira Naevii, Ennii, Lucilii ad rempublicam spectans e dramatica ista altercatione juvenum actorum in perpetuum continuumque carminis connexum via ac ratione dispositum coaluisse videtur. Quamobrem de antiqua satura idem valere crediderim, quod de suis carminibus praedicat Juvenalis:

»Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli«[8]).

atque exemplum nobis proposuit satiricae altercationis Horatius in epistola[9]), qua duos mendicos fingit maledictis invicem sibi occentantes. Quamobrem eadem Horatii carmina facillime poterant et Sermones et Satirae appellari.

---

[8]) Juvenal. Satir. I, 58.
[9]) Horat. Epp. I, 17, 48. cum schol.

XII.
DE FABULIS ATELLANIS.

Urbicus exodio risum movet Atellanae.
Juvenalis.

De fabulis Atellanis quamquam exstant nostra aetate commentationes virorum doctorum diligenter elaboratae [1]), tamen quaestio hoc loco ea ineunda videtur, quae populare solum illud fabularum genus antiquissimum tangat, omisso altero genere a Q. Novio et L. Pomponio arte et disciplina composito. Tradit igitur Livius loco notissimo [2]) Atellanas ab Oscis Romam pervenisse, ita ut Romana juventus, ab histrionibus illas pollui non passa, sibi reservarit ut privilegium quoddam eas peragere. Quamobrem Atellanarum actores neque ut ceteri histriones tribu moti militiaque prohibiti erant, nec personas, quibus soli antiquissimis temporibus utebantur, ne agnoscerentur, postulante spectatorum corona deponere cogi poterant. De tempore, quo Romae agi coepti sint hi ludi Osci qui vocantur, quamvis nec Livius nec Valerius Maximus certis verbis dicant, tamen colligitur e Festo, id ipsum Livio Andronico et Naevio superstitibus factum esse [3]), quum juventutis Romanae Graecas fabulas earum-

---

[1]) Cf. Schober Ueber die Atellanischen Schauspiele Leipz. 1826; Munk de L. Pomponio Bononiensi. 1826. Schober de Atellanarum Exodiis. Vratisl. 1830. Munk. de fabulis Atellanis. 1840. Ceteros qui de eadem re egerunt notavit Baehr. Hist. Lit. Rom. I, p. 105, not. 1. ed. 3.

[2]) Liv. VII, 2. cf. Val. Maxim. II, 4, 4.

[3]) Fest. v. personata fabula p. 217. Personata fabula quaedam Naevi inscribitur, quam putant quidam primum (actam) a personatis histrionibus; sed cum post multos annos comoedi et tragoedi personis uti coeperunt, verisimilius est eam fabulam propter inopiam comoedorum actam novam per Atellanos, qui proprie vocantur personati, quia jus est is non cogi in scena

que viles actores respuentis superbia Italicum illud genus ludorum scenicorum consulto adoptaretur. Qui quid sit, quod jam in certam propriamque speciem conformati exstiterint apud Oscos, priusquam Romae excepti sint, ita explanandum videtur. Osci enim, quamvis et lingua et stirpe Romanis affines, tamen iis temporibus, ubi Graecae literae in Italiam migrare coeperunt, barbara lingua uti et rusticis moribus esse existimabantur, et ob impudicitiam scurrilitatemque contemptui ludibrioque erant, id quod etiam scurra Oscus ille apud Horatium docet. Itaque etiam Atella urbs eadem ineptiarum stultitiaeque ridiculae fama floruisse videtur qua apud Graecos Abdera, apud nos quoque nonnulla oppidulorum nomina[4]). Quae ingenii morumque oppidanorum indoles fieri non poterat, quin et ridiculis personis esset aptissima, ideoque his per omnia tempora constantibus etiam argumentum paullo firmius strictiusque Atellanarum, quam Fescenninorum aut Saturae Romanae conformatum est. Erant igitur Osci non tam inventores horum ludorum, quos eodem genere et ratione etiam aliis Italiae regionibus, etiamsi rudiores et inconcinniores, sponte in vulgarem delectationem editos esse supra indicatum est, quam aptissimas praebebant juvenibus Romanis personas, quas agentes jocari et ridicula contexere possent.

---

ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse est. — Histriones postea demum per abusum personas sumpsisse colligitur e Donati Fragm. de comoed et trag., qui dicit personatos primum egisse comoediam Cincium et Faliscum, tragoediann Minutium et Prothium. Diomedes III. p. 486. Roscium Gallum primum id ipsum fecisse tradit, quia oculis esset obversis. Cf. Munk de fabb. Atell. p. 71. Stieve de origg. rei scen. Rom. p 21—24. Zell. l. c. p. 142; Schober de fab. At. p. 6.

[4]) Kraehwinkel, Schilda, Schoeppenstedt, Polkwitz, Buxdehude. De scurrilitate Oscorum cf. Dion. Halic. A. R. I, 89; Scurra Oscus ap. Hor. Serm. I, 5, 52; Munk l. c. p. 29. Zell. l. c. p. 144. Schober l. c. p. 17.

Quod vero Strabo Osca lingua conscriptas fuisse Atellanas significat, recte Munkius compluribus refellit argumentis[5]). Primum enim Oscum sermonem a Latino adeo diversum fuisse, ut, etiamsi quis alterum noverit, idem non alterum quoque intelligeret, eo conspicitur, quod et quaerebantur quondam in exercitu Romano homines linguae Oscae gnari[6]), et Ennius poeta Graecae, Romanae, Oscae linguae peritus minime se tria habere corda gloriari potuisset, nisi plane diversas linguas habuisset[7]). Quid praeterea quod et omnia Atellanarum fragmenta, vel Oscis personis loquentibus, Latina sunt, et Atellanae insignis antiquae linguae Latinae fons posterioribus temporibus existimatae sunt[8])? Quamobrem fuerint licet singulae dicendi formulae et non pauca verba Osca in antiquis Atellanis popularibus illis[9]), tamen, quam non potuerint Latini homines connexum carminum Oscorum intelligere, docent Oscae linguae luculentissima monumenta Tabula Bantina et Cippus Abellanus, quorum inscriptiones vix nunc demum adjutrice lingua Latina, Graeca, Sanscrita ad certam constantemque rationem explicandi redactae sunt[10]). Strabonis vero sententia ab omnium Romanorum scriptorum

---

5) Strabo V, 6. τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων ἡ διάλεκτος μένει παρὰ Ῥωμαίοις. ὥστε ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι κατά τινα ἀγῶνα πάτριον. Munk. l. c. p. 52—56; Idem de L. Pomp. p. 21.

6) Liv. X, 20.

7) Gellius N. A. XVII, 17.

8) Petron. Satir. 53. Front. ad. M. Aurel. II, 3. cf. Munk de fabb. Atell. l. c.; idem de L. Pompon. l. c.

9) Ita judicat O. Mueller. Etrusc. I, p. 25.

10) Nuper de lingua Osca egit C. Peter. Hall. Allgem. Literaturzeit. 1842. No. 62—64, et No. 81—86. Explanatio tabulae Bantinae a Klenzio et Grotefendio tentata recognoscitur No. 64. p. 510; cippi Abellani explicatio legitur No. 85. p. 70 et No. 86. p. 75, ipso scriptore fatente, quam sint multa incerta. His ipsis diebus, majore parte hujus libelli mei jam

auctoritate discedens inde facile oriri poterat, quod et ludos *Oscos* appellari audierat, et *Osce loqui* interpretabatur *lingua Osca uti*, neglecta altera significatione, qua idem valet ac rustice, *obscoene*, inepte loqui [11].

Itaque fabulae Atellanae duabus rebus differebant a saturis Romanorum scenicis: *personis Oscis* et *concinniore* fabulae *argumento*.

Erant vero *quatuor* potissimum *personae Oscae* constantes in hoc ludorum popularium genere, eaedem quae nunc quoque in recentiore Italorum Comedia dell' Arte aguntur. Primum *Maccus* est senex insignis stulta fatuitate rusticaque voracitate, invenusto corporis habitu incedens tam improvide, ut cum risu spectatorum hic et illic saepe pedem offendat, et vestigio fallente cadat; Veneris idem tam obcoecatus sectator ut virum pro puella amplectatur, et sero se deceptum esse videat misereque et ridicule clamitet.

Neque in suis solum rebus semper errat, fallitur, decipitur, sed etiam, si quid alii perpetraverunt, Maccus plerumque poenas luit [12]. Omnino magna intercedit similitudo inter hunc et Faunos Silvanosque senes libidinosos, avidos, ridicule deceptos deprehensosque ea

impressa, mihi obvenit liber Th. Momsenii: Oskische Studien, Berlin, 1845., ubi monumenta linguae Oscae dilucide retractata invenio. p. 81. sq. Etiam Momsenius negat Atellanas Osca lingua Romae actas esse Strabonis tempore p. 24, quum post bellum sociale lege Plautia-Papiria lingua Osca e publico usu abierit, abhinc apud rusticos Campaniae tantummodo viguerit aliquamdiu. p. 23. Per eundum virum doctum nunc mihi probatur interpretatio Umbrici verbi: tuta, tota, h. e. Gemeinde ut Oscum: touto, p. 78. et 79, quod supra p. 32, not. 47. cum O. Muellero pro adjectivo: tota habere, quam cum Lepsio: urbs interpretari malui.

11) Hanc habet vim ap. Juvenal. Satir. 17, 454. cf. III, 207.

12) De Macco ceterisque personis Oscis agit Schober de fabb. Atell. p. 18; accuratius pleniusque Munk p. 29 sq. Ceterum hoc personarum ingenium e fragmentis facile cognoscitur.

quae supra observata est ratione [13]). Quae quidem similitudo nescio an obversetur Horatii animo in epistola ad Pisones, ubi a dramate Satyrico Graecorum transiens ad Faunos Italicos, iisdem partibus hos functos esse in scenicis ludis quibus illos significare videtur. Macco paullo delicatior et politior est *Pappi* figura, cujus vis ridicula in eo potissimum nititur, quod inter avaritiam, honorum cupiditatem, libidinem varie jactatus ex sua opinione sibi vel maxime sapere videtur, quum, fatuus ut est et superstitiosus credulusque, a callidioribus hominibus facile decipiatur. A *buccis* porro dictus est *Bucco*, parasitus vana garrulitate et insatiabili voracitate, qui summa audacia et astutia coenarum alienarum appetens id sibi proposuit negotium, ut scurrilibus jocis, blanditiis, artificiis, rebus novis allatis convivas delectet. Restat denique *Dossenus* sive *Dorsenus* a *dorso* nimis elato vocatus, qui philosophi partes agens, magicarum artium, fascinationum, vaticinationum scientia simulata apud rusticos credulos se insinuare studet, impudens ille quidem hariolus, ut Ennius dicit, seu vicanus haruspex, qui ab iis quibus divitias pollicetur ipse drachmam petit [14]). Quamobrem non injuria haec persona a Marsis magicarum istiusmodi artium praecipue peritis repetenda videtur.

Respondere vero his quatuor personis Atellanarum simillimas quasdam in recentiore Comedia dell' Arte a viris doctis animadversum est, ita ut *Maccus* et *Arlechino*, *Pappus* et *Pantalon*, *Dossenus* et *Doctore* vel *Jurisconsulto*, *Bucco* et *Brighella* harum comoediarum easdem fere partes agere videantur [15]).

Ob has igitur statas certasque personas Atellanae potissimum *personatae fabulae* dictae sunt, cum constans

---

[13]) Horat. Ars. poët. v. 220.
[14]) Ennius ap. Cicer. de Div. I, 58.
[15]) Cf. W. Mueller, Rom, Roemer und Roemerinnen II, p. 125.

ingenii morumque indoles quatuor hominum illorum etiam ore ficto et composito actorum exprimeretur necesse esset. Itaque praeter Oscas personas concinniusque his ipsis redditum argumentum facile conspicitur, quam fuerint Atellanae vi ac facultate similes Fescenninis versibus et saturis Romanis, quum in iis non minus appareat superstitio illa cum obscoenitate et jocandi illudendique procaci licentia conjuncta. Nam et prodibant in scenam Atellanicam horrificae speciei personae, ut Manducus, Pytho, Gorgonius, Lamia [16]), quae spectra magnis dehiscentibusque malis, humani puerorum sanguinis cupida ingrediebantur, et horrore, grato plebeculae, spectatorum animos implebant; et jocos in Atellanis popularibus, quamvis palliatarum comoediarum facetiis facile salsiores, tamen effrenata lascivia ac protervitate obscoenis immundisque rebus indulsisse, docet magnus amphiboliarum ambiguitatumque eo spectantium in Novii et Pomponii fragmentis numerus. Accedebant pro rei natura obscoeni scurrilesque gestus ac motus, velut *sanna* et hominum certorum *demonstratio*, quos Terentianus Maurus *petulcos* appellat [17]).

Quanta prorsus acie Atellanarum actores carpserint civium in republica vitia et perversas opiniones ridiculosque mores, eo optime intelligitur, quod, quum nomina appellari edictis imperatorum vetitum esset, ne tum quidem abstinerent, quin vultu gestuque hos ipsos vexarent [18]). Praeterea non negligendum est, saepe ludicros versus, quales supra descripti sunt, recenter compositos vulgo in Atellanos insertos esse, additis etiam proverbiis et sententiis ad vitam utilibus [19]).

---

16) Plaut. Rudens II, 6, 51. Munk. p. 42 et 43.

17) Terent. Maurus de metr. Putsch. p. 2436. De verbo sanna habent lexica.

18) Sueton. Aug. 45. Tib. 45. Calig. 26. Nero 39. Galba 13. Munk. de fab. At. p. 60, 63, 65.

19) Stieve de rei scen. origg. p. 58.

Nitebatur igitur propria vis atque indoles harum fabularum non in connexu historiae alicujus artificiose et varie constricto, quoniam tricae Atellanae simplices vel in proverbium abierunt [20]), sed potius in depingendis moribus, ingenio, vita vel agricolarum vel oppidulanorum vel hominum infimi ordinis, ut falsariorum, circumscriptorum, fullonum, haruspicum, praeconum, scortorum [21]). Sic facile fieri poterat, ut, cum de argumento, de personis, de partibus fabulae ante convenisset inter actores, tamen libera maneret juvenum licentia ex tempore dicteria, sales, cantiunculas, sententias communesque locos immiscendi, donec hoc genus popularis poesis arti literisque mandaretur Sullae tempore a L. Pomponio et Q. Novio. Tamen post Caligulae aetatem quum nulli a scriptoribus appellentur poetae ejus generis, videntur Atellanae ad popularem illam speciem revertisse, quam per totam mediam aetatem usque ad nostram memoriam retinuit Italica comoedia.

Hoc unum igitur restare videtur, ut demonstretur, quid sit *exodium*. De quo Livius sic scripsit: »Quae ridicula versibus intexta inde exodia postea appellata consertaque potissimum Atellanis sunt.« Quem quidem locum Stievius sic interpretatur [22]): non in fine tantum Atellanarum exodia fusa esse ut comoedias per se integras, sed antiquos *jocos passim insertos* in Atellanarum connexum exodia fuisse, unde ampliore deinde sensu exodium significet omne facete et *acute dictum*. Hac enim sola ratione declarari, quid sit, quod postea mimi ac planipedes inter actus et post finem fabularum in scenam prodierint, qui nempe ipsi essent *exodiarii* majorem ad

---

[20]) Arnob. adv. gentes V. p. 167.

[21]) Haec omnia in Pomponii Noviique fragmentis reperta etiam de popularibus Atellanis antiquioribus valere nemo negabit. Cf. fragm. ap. Munk de. f. At. p. 64. sq. de L. Pomp. p. 54.

[22]) Stieve de rei scen. origg. p. 47.

praestantiam expoliti. Ad similem se applicavit de exodiis sententiam Schoberus [23]), nisi quod exodia a juvenibus soluto joco *passim* in Atellanas immixta parvas *comoedias* per se *integras* esse statuit.

At enim non haec est ipsius verbi significatio, et ratione carere videtur, in comoediam etiam alteram comoediam insertam esse. Quamobrem Munkius objicit illis [24]), primum non fuisse istius modi lacunas in Atellanis fabulis, quibus alterum genus comoediarum agi posset, deinde ipsum verbum *exodium* esse *exitum*, ἔξοδον seu *catastrophen*, aut *postremum canticum*, aut *spectaculum peculiare* in *fine* additum significans. Illius tamen cantici quum sit terminus technicus *clausula*, hanc alteram propriam esse significationem *exodii*, quod qui egerit, *exodiarium* esse appellatum. Deinde vero etiam extra theatrum qui res jocosas ageret vel dictitaret, idem nomen tulisse, et omnino *exodia* significasse, quod Francogalli dicant *farces* [25]). Itaque, personis solis ab Atella Romam accersitis, locum Livii hoc significare: »quae ridicula postea ludis scenicis finem facere solerent, inde exodia appellata et fabulis potissimum Atellanis conserta esse.

Sed priusquam de exodiis judicium faciamus, considerandus est Livii noster locus, qualem novissimus T. Livii editor Alschefskius scribendum censuit [26]): »Postquam

---

[23]) Schober de fabb. At p. 42. Idem. de Atellanarum Exodiis Vratisl. 1830.

[24]) Munk de fabb. At. 22—28.

[25]) Loci in quibus rei cardo vertitur hi potissimum sunt: Juven. Sat. VI, 71: Urbicus exodio risum movet Atellanae. Cic. ad. Div. IX, 16: mimus in locum Atellani exodiarius successit. Juvenal. Sat. III, 175: dignus principio exitus exodiumque sequetur. cf. ibid. Schol. et eadem de re Sueton. Tib. 45. Domit. 10. Calig. 27. Unus tantummodo exstat locus auctoritatis valde dubiae, ubi exodia sunt dicteria ap. Hieron. Gaudent. Epp. 12.

[26]) Cf. ejus edit. Vol. II, p. 145 cum not. Ceterum omnino Alschefskius codicem Mediceum undecimi saeculi, e recensione

lege hac fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur, et ludus in artem paullatim verterat, juventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepit, unde exorta, quae exodia postea appellata conservataque fabulis potissimum Atellanis sunt.« Hic primum verbis: »histrionibus *fabellarum* actu relicto« *Graecas* Livii Andronici *fabulas* esse intelligendas, e verbis hunc totum locum praecedentibus conspicitur, unde hanc fuisse sequitur exodiorum rationem. Quum Graecae fabulae apud eruditos quidem placerent, multitudinem vero non ita detinerent, quin pugilis vel ursi spectaculo saepe postponerentur, juvenes Romani denuo ad antiqua illa jocularia quae animi moresque plebis ad Fescenninorum Saturarumque lasciviam ludibriumque inclinantes desiderabant, peragenda, ut antea consueverant, se converterunt. Itaque primum hae *saturae* antiquae ad finem Graecarum fabularum additae *exodia* appellabantur; tum, accedentibus ad illas Oscis personis et argumento, *Atellanae* eidem rationi inservientes idem nomen trahebant, et utrumque posteris temporibus praecipue retinebant; deinde etiam *mimi* et *pantomimi*, alia ejusmodi quae ad tragoediam potissimum adderentur ad exhilarandos spectatorum animos, pari appellatione notabantur [27]).

Grammaticorum Nicomachi Dexteri et Victoriani depromptum, existimat antiquissimum textus fontem esse primae decadis Livianae.

[27]) Simile genus ludorum popularium apud Hispanos vocatur loas (Vorspiele) et entremeses (Zwischenspiele, Volksdramen, Farcen). cf. Fr. v. Schack: Geschichte der dramatischen Literatur in Spanien. Berlin. 1845. Th. II.

XIII.

DIDACTICAE POESIS VESTIGIA QUAEDAM.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.
Horatius.

Pro ingenio Romanorum in operibus negotiisque publicis et privatis ab ineunte aetate semper occupato atque exercitato, et ex iis unam sapientiam doctrinamque ad vitam utilem quaerente, consentaneum est exstitisse antiquitus carminum genus, quo haec ipsa sapientia brevi comprehenderetur. Sic igitur nutrices infantibus Saturnium in modum cantando praecipere solebant.

No. 42. *Lallá lallá lallá aut dórmi, -aut lacté* [1]).

et pueri ludentes hanc sententiam versu canebant:

No. 43. *Rex erit qui recte faciet, qui non faciet non erit* [2]).

Festus vero, ut demonstret ab antiquis omnino pueros Camillos appellatos esse, scribit: »Sicut habetur in antiquo carmine, quum pater filio de agricultura praeciperet:

No. 44. *· · Hibérno*
Pulvére, verno lutó grándia farra Camílle [3]).
Metés · ·

quae verba numerum Saturnium prae se ferentia indicant, totum carmen antiquum, quamvis exigui ni fallor ambitus, similis certe generis fuisse atque Hesiodi opera et dies. Praeterea hoc loco memoranda videntur etiam incantationes et carmina quaedam in ore rusticorum versata, quibus secretam inesse magicamque vim putabant

---

[1]) Gloss. Vett. ad Persii Sat. III, 18. ed. Deubner. Etiam sarcinatrices in machinis incondita cantare dicuntur ap. Varron. Saturar. Menippearum Reliqq. ed. Oehler: LXIII, 12. p. 176.

[2]) Porphyr. ad Hor. Epp. I, 1, 59.

[3]) Fest. v. flaminius Camillus p. 93.

deque iis Plinius sic loquitur: »Carmina quaedam exstant contra grandines contraque morborum genera contraque ambusta, quaedam etiam experta: sed prodendo obstat ingens verecundia.« Hujus generis incantatio scripta est apud Varronem:

No. 45. *Terra pestem teneto, salus hic maneto*[4]), ubi numerus Creticus sponte vi ac pondere dicti provocatus esse videtur.

Quamquam pleraque hujusmodi vel obscura vel sensu plane carentia praecepta, carmina, incantationes, quales Cato et Varro servarunt[5]), non magis poesin tangere videntur quam sacri juris et consecrationum formulae. Neque sententias praeceptaque ad animorum rectam disciplinam spectantia abfuisse ab antiqua Romanorum poesi populari conspicitur e Gellio, qui in undecimo Annalium Maximorum libro scriptum invenit, quum quondam haruspices Etrusci populum Romanum falso de statua Horatii Coclitis responso decepissent et fraudis convicti supplicium passi essent, hunc a pueris versum scite factum et tota urbe cantatum esse:

No. 46. *Malúm consilium cónsultóri pessimum ést*[6]).
quem versum indicare crediderim, complures ejusmodi sententias proverbiales Saturnio numero compositas similibus modis apud Romanos antiquitus decantatas esse, ac ludicros de quibus egimus versiculos. Sic enim Appium Claudium Caecum medio fere quinto urbis conditae saeculo carmen conscripsisse, Cicero in Tusculanis tradit[7]), quo morum praecepta quaedam comprehenderet ad vitam civium Romanorum, si quid video, spectantia, qualem ipse vir acerrimus per multorum annorum in re-

---

[4]) Plin. Hist. Nat. XXVIII, 5. Varro de Re Rustica I, 2.

[5]) Cato. R. R. 160. Varro R. R. I, 2.

[6]) Gell. N. A. IV, 5.

[7]) Cic. Tusc. IV, 2. §. 4. cum not. Orelli. cf. N. Saal: de Appio Caeco. Colon. 1842. p. 35.

publica labores tempestatesque cognovit. Ejusdem vero generis antiquum carmen profert Mallius Theodorus consul in libro de metris suo his verbis »Praecepta primus apud Latinos Marcius vates composuit, ex quibus est illud: »postremus loquaris, primus taceas[8]);« eaque, sicut ejusdem vatis praedictiones, Saturnio numero composita fuisse consentaneum videtur, ita ut integrum habeamus versum:

No. 47. *Póstremus loquárís, primus tacеás.*

Nos vero, qualis fuerit ratio hujusmodi versuum, fingere fortasse nobis possumus adhibitis Dionysii Catonis distichis de moribus ad filium, si modo aliqua antiquitus Catonis Censorini nomine evulgata in disticha illa excepta sunt [9]). Denique placuisse hujusmodi sententias carmine pronunciatas in scena, docent Atellanarum fragmenta L. Pomponii et Q. Novii.

Hac ratione quum pro ingenio Romanorum rudimenta quaedam didacticae poesis jam antiquitus exstarent, eo facilius primi eorum poetae ad hoc genus Graecis literis excolendum amplificandumque se applicarunt.

XIV.

CONJECTURA DE CONTINUO ROMANORUM CARMINE EPICO FALSA.

Ex noto fictum carmen sequar.
Horatius.

Quoniam ex omnibus quae contemplati sumus popularium apud Romanos carminum generibus nullum

---

8) Mallius Theodorus de metris p. 95. ed. Heusinger; cf. Zell. script. Fer. II. p. 207, 224.

9) Hoc vel Boxhornius concedit: Diss. de Distichis, quae Catonis nomine circumferuntur, in ed. O. Arntzii ad Rhen. 1754. vers. fin., ceterum acerrimus horum carminum vituperator.

est, quantum et scriptorum testimoniis et ipsis fragmentis dignosci potest, quod ad continuum carmen epicum referri possit, restat, ut interiora illa quae vocantur argumenta ad illud statuendum confirmandumque allata in disceptationem vocentur. Namque Niebuhrius a naeniis convivalibusque carminibus secernit epica majoris amplitudinis poemata, unde soluta sit in narrationem prosaicam quae apud nos appelletur regum historia. Eorum vero sublimem pulchritudinem conspici e carmine de Romulo et de Tarquiniis sive de heroum calamitate composito, ubi tam multa poetarum libera imaginandi vi inventa sint, ut vera inde atque integra historia nullo modo dignosci possit. Quamvis igitur vetustissima sit materies horum carminum, tamen et formam et rei ipsius magnam partem recentioris esse aetatis. Namque quod pontificum annales corruperint historiam in usum patriciorum, in tota hac epica poesi plebejorum voluntatem odiumque adversus patricios conspici, et aperta vestigia reperiri, ea aetate, ubi cantata sint illa carmina, jam plebejorum gentes in republica potentes fuisse. Quamobrem in eam formam quam nos noverimus non ante cladem Gallicam rhapsodias illas reductas esse; medio vero quinto ab urbe condita saeculo ut artis sic poesis fuisse auream aetatem apud Romanos [1]).

In omni praeterea argumentatione multum tribuit Niebuhrius comparationi Romanorum cum Homeri, Nibelungorum, Graecorum recentioris aetatis, Hispanorum epicis carminibus. Ut vero declaretur, quid sit, quod tota haec sublimis epica poesis vix uno saeculo exacto plane oblivione obruta sit, Ennio poetae Graecis literis erudito imputatur, quod totam popularem Romanorum poesin contempserit et cum magno successu oppresserit.

---

[1]) Cf. locos Nieb. Hist. Rom. ed. 3. I, p. 272 sq. I, p. 585, II p. 585.

Haec tota igitur ut refellatur sententia, haec tria potissimum capita illustranda erunt: Primum immerito illud de Q. Ennio statui, ut appareat, si modo floruerit epica poesis, perire eam non potuisse, deinde nequaquam convenire eam cum iis quae Niebuhrius voluerit temporibus reipublicae, ideoque omnino non floruisse, postremo aliunde fluxisse atque ex epicis carminibus fabulosam historiae Romanae speciem.

XV.

Q. ENNII POETAE VINDICIAE.

Bello Punico secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.
Porcius Licinius,

Sententia qua putatur, Q. Ennium carmina epica antiqua in suos hexametros vertisse, eundem nihilo tamen secius hanc popularem Romanorum poesin contempsisse et consulto oppressisse [1]), primum nititur in versu Annalium hujus poetae false explicato, deinde convenit nec cum ingenio moribusque Ennii, nec cum scribendi ratione, postremo plane abhorret ab illa, qua unus praeter ceteros poetas apud Romanos florebat hic, gloria, popularium carminum imitatione nullo modo parta.

Primum igitur argumentum a viris doctis, qui Niebuhrianae favent conjecturae, nullum omnino allatum est praeter notum Bruti Ciceroniani locum [2]), in quo interpretando Krausius male longus, mira ratione invenit, vates quosdam seu ἀοιδούς naturae divino impetu excitatos carminibus epicis historiam Romanam propagavisse ad posteros [3]). Hujus vero ut omittam apertas repug-

---

[1]) Nieb. Hist. Rom. I, p. 274.

[2]) Kraus. Hist. Litt. Rom. p. 67; Petersen Origg. Hist. Rom. p. 4.

[3]) Kraus. p. 61. fuisse hos rhapsodos statuit; contra p. 77. non fuisse rhapsodorum disciplinam apud Romanos.

nantias hoc loco persequi, ipsum afferam Ciceronis locum ita scriptum [4]). »Nec dubitare debemus, quin fuerint ante Homerum poetae: quod ex iis carminibus intelligi potest, quae apud illum et in Phaeacum et in Procorum epulis canuntur. Quid? nostri veteres versus ubi sunt?

· · quos olim Fauni vatesque canebant,
Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat · · · «

Sequitur ibidem de Ennii Naeviique temporibus disputatio, et de carminibus convivalibus memoratur. Haec deinde sunt verba: »tamen illius, quem in vatibus et Faunis annumerat Ennius, bellum Punicum quasi Myronis opus delectat. Sit Ennius sane, ut est, perfectior: qui si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset. Sed ipse dicit, cur id faciat: scripsere, inquit, alii rem versibus [4]) · · ·

Ex hoc igitur loco conjectum est, Naevium in Faunorum vatumque numero haberi ab Ennio, veterum scilicet Phemiorum ac Demodocorum apud Romanos, quorum non verba quidem, sed vim expresserit Q. Ennius. Ad eundem versum enucleandum Varro de Faunis dicit: »hos versibus quos vocant Saturnios in silvestribus locis traditum est fari futura, a quo fando Faunos dictos. Antiquos poetas vates appellabant a versibus viendis [5]).« Varronis igitur judicio Ennii *Fauni vatesque* a *praefando futura* versibus, non ab epicis carminibus nomen traxerunt. Sed multo optimus exstitit ipse Cicero hujus versus interpres, qui ita scripsit: »Eodem enim modo multa a vaticinantibus saepe praedicta sunt, neque solum verbis, sed etiam:

Versibus quos olim Fauni vatesque canebant.

---

[4]) Cic. Brutus c. 18.
[5]) Varro L. L. VII, 36. p. 134.

Similiter Marcius et Publicius vates cecinisse dicuntur: quo in genere Apollinis operta prolata sunt« [6]). Quid igitur? Nonne sensus Ennii verborum *Fauni vatesque* luce clarior redditur Ciceronis verbis *a vaticinantibus* et *Marcius et Publicius vates?* Hic profecto qui modo vult videre, eum fugere non potest, Ennium illo versu nihil aliud significare, quam Horatii *annosa volumina vatum* ab antiquissimis temporibus in Capitolio servata. Quare Cicero comparatione illa sua in Bruto nihil dicit praeter hoc: ut apud Graecos ante Homerum sic apud Romanos ante Ennium versuum initia fuisse, et consulto tam vage comparat his verbis: Quid? Nostri veteres versus *ubi sunt?* Illud *annumerare* igitur a Cicerone fortius quam accuratius dictum idem valet, quod *comparare*, et reprehensionem habet Ennii lenem, quod etiam ab hoc verbum *quos* pro *quales* usurpatum fortius dictum videbatur, speciemque praebere poterat, tamquam revera *vates* fuisset *Naevius*. Quid multa? Verba *scripsere alii rem*, hoc est *Punicum bellum primum*, de *uno Naevio* negligentius cum contemptu simulato ab Ennio dicta esse sentit Cicero, et in aprico est reprehendi hoc loco *numerum Saturnium*, quo et Naevius et antiqui vates Marcius, Publicius, alii usi sint, ut rudem et horridum ab Ennio poeta, quippe qui, primum se adhibuisse inter Romanos poetas Graecos hexametros, paene nimium gloriari soleat [7]). Subest etiam acerbius quoddam huic comparationi, quod revera Ennius, qui tam liberam de rerum deorumque natura foveret sententiam, ut Euhemeri ἱερὰν ἀναγραφήν ad totam religionem penitus tollendam, ut Cicero ait, conscriptam non solum interpretaretur, sed etiam praeter ceteros

---

[6]) Cic. de Divin. I, 50.

[7]) Ennium hexametrum primum usurpasse docet Isidor. Origg. I, 37. p. 852. Cf. Cic. de Legg. II, 27; Diom. II, p. 493. Agit de ea re Osann Anal. crit. c. II, p. 29.

sequeretur[8]), quod, inquam, Ennius revera vates omnes nihili aestimabat, non ob carmina quae edebant, sed quod umbraticis ridiculisque superstitionibus eos obstrictos videbat. Quamobrem enumeratis omnibus vatum generibus dicit:

»Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat.«

Krausius vero nec meminit harum Ennii versuum, quum *unum* esse, quem supra posuimus, locum ejus, quo verbum *vates* legatur, affirmet, et consulto omisit alterum Ciceronis locum, quo Ennii verba tam perspicue explicantur[9]). Quod igitur antiquos poetas *vates* appellatos esse Varro dicit, ita re ipsa intelligendum est: quum vates divinitus inflati *fata carminibus praemonerent*, etiam *omnino poetae antiqui*, non minus divino quodam impetu excitati, a *posterioribus poetis vates* sunt appellati. Nam et vulgari sermone et apud optimos prosaicos scriptores verbum *vates* proprium suum retinuit sensum.

Utebatur vero tam acerba comparatione Q. Ennius contra Naevium, quod fieri non poterat, quin nulla intercederet amicitia aut animi voluntatisque similitudo inter utrumque poetam. Nam Ennius intima familiaritate junctus erat cum Catonibus, Scipionibus, Fulviis viris nobilissimis [10]), Naevius a nobilium factione in vincula

---

[8]) Cic. de Nat. Deor. I, 42. Etiam aliis locis liberiorem Ennius profert de diis sententiam. Cf. Cic. de Nat. Deor. II, 2. ibid. II, 25. Divin. II, 50. ibid. I, 58.

[9]) Idem temere Schlegelio objicere audet, quod Ennium non legerit p. 74. Omnino vero p. 61. vertitur hoc argumentandi circulo: Erant epici poetae, ergo, alio verbo deficiente, vates appellati sunt, itaque hos significavit Ennius, ergo epice cecinerunt.

[10]) Cic. de Senect. c. 8 Aur. Vict. de Vir illustr. c. 47. Cic. de Orat. II, 68; Livius XXXVIII, 56. Cic. pro Arch. c. 9, c. 11. Aur. Vict. Vir. ill. c. 52.

conjectus est [11]), ille Scipionum et Fulviorum facta clarissima laude celebravit, hic continuis facetiis maledictisque eosdem vexavit; Ennius civis Romanus Romae mortuus est, Naevius exsul Uticae decessit [12]); Naevius denique populari utebatur Saturnio metro, Ennius, eruditorum nobilium gustui ut satisfaceret, Graeco hexametro.

Hac demum ratione Ciceronis in Bruto locum recte intelligimus, quo ne tantillum quidem de epicis poetis vel rhapsodis Romanis cogitatum est.

Praeterquam vero, quod nulla alia argumenta Niebuhrius et Krausius ad suam sententiam firmandam afferunt, facere non possunt, quin pro illa Ennium aut ridiculae vanitatis, aut inhonestae fraudis arguant. Aut enim expressit poeta carmina popularia antiqua, aut popularem Romanorum poesin neglexit, contempsit, oppressit; at primum priscorum poetarum vim arte expressisse, deinde artem vi oppressisse Ennium, aut moribus ingenioque ejus, aut menti ac rationi maculam adspergit vel maxime indecoram. Minime vero hoc cadit in poetam, cujus consuetudinem familiaritatemque Scipiones et Catones quaerebant, ejusque ingenium L. Aelius Stilo his versibus ab ipso compositis descriptum recognovit:

»Ingenium, cui nulla malum sententia suadet,
Ut faceret facinus; levis, haud malus, doctus, fidelis
Suavis homo, facundus, suo contentus, beatus [13]),«

cum quibus consentit, quod ipse de se Ennius cecinit:

....»Eo ingenio natus sum:
Amicitiam atque inimicitiam (in fronte) promptam gero« [14]).

---

[11]) Gell. N. A. III, 3, 15. Cf. E. Klussmann Cn. Naevii Vita et Reliqq. descr. et ed. Jena 1843. p. 19. sq.

[12]) Gell. N. A. III, 3, 15; idem VI, 8, 5. cf. Hieronym. in Euseb. Chron. Ol. 144. Ceterum cum Klussmanno Naevium 550 mortuum esse censeo.

[13]) Gell. N. A. XII, 4.

[14]) Gell. N. A. XIX, 8, 6.

Nec minus abhorret illorum sententia a scribendi ratione nostri poetae. Nam ut apud Homerum Phemius et Demodocus in Procorum Phaeacumque conviviis canunt, eodem modo, si tanto honore quondam floruisset epice canendi mos, in regum et patriciorum solemnibus epulis a rhapsodis seu poetis seu convivis laudes grandium factorum cantatas esse, etiam apud Ennium legeremus, quippe qui ut aliis in rebus sic etiam in hoc Homerum libenter imitatus esset. Hujus vero generis si quid apud Ennium legisset Cicero in iis annalium partibus, quae nunc deperditae sunt, minime Bruti illo loco silentio praetermisisset. Neque obscurum haec res documentum, rhapsodos nunquam apud Romanos exstitisse. Is porro qui tantum indulserit antiquitatis sancitae apud populum Romanum studio et amori, ut merum antiquumque scribendi genus, quod Livius Andronicus Graecis verborum formis miscuerat, denuo adoptaret, atque antiqua verba depromeret e duodecim tabulis aliisque vetustissimis literarum monumentis [15]), is certe memoraret, si modo novisset, antiqua carmina ea ipsa de causa, ut vindicaret annalibus suis augeretque vetustatis gratam Romanis speciem.

At major erat poetae et sui opinio et gloria apud aequales posterosque, quam quae sola imitatione parta sit. Etenim quod Ennius ante se dicit neminem dicti studiosum fuisse, quod ipse cum equo nobili, qui saepe palmam Olympicam tulerit, tunc quiescat, se comparat, quod epilogio ab ipso composito immortalitatem sibi vindicat, Homeri denique animam in suum corpus ingressam [16]) praedicat, et Horatius jactantiae eum ar-

---

[15]) Cic. Orat. c. 48. Gell. N. A. XVI, 10, 5. Cf. Osann Analecta critica p. 16. sqq.

[16]) Cic. Brutus c. 18. Gell. N. A. XII, 4. id. XIX, 8, 6. Cic. de Senect. c. 5. id. Acad. Quaest. IV, 16. Lucret. Car. de Rerum Natur. I, 106. sqq.

guit [17]) et Persius pavonem Pythagoreum appellat [18]); qui tamen de imitatione antiquorum carminum ne divinent quidem. Quid igitur? Num nos putabimus tantum prae se ferre poetam sui fiduciam ob solum versuum numerum a Graecis petitum, quum imitator fuerit et Homeri et antiquorum carminum epicorum?

Praeterea vero, quam populari floruerit praeter ceteros poetas gloria, omissis laudibus scriptorum uberrimis, hac potissimum in re conspicitur. Cicero videlicet non solum in philosophicis libris Ennii nomini saepe addit verbum *noster* [19]), sed etiam in publica oratione, quum alias orator poetarum ac philosophorum nomina pronuntiare veritus sit, ne delicati hominis suspicionem apud populi coronam moveret, *nostrum*, id est communem populi Romani perhibere non dubitat [20]). Quin etiam non alio modo *poetas* melius commendare se posse populo arbitratur, quam ab *Ennio sanctos esse* appellatos, in hominum memoriam revocando [21]).

Eodem sensu a poetis Ennius et *pater* et *alter Homerus* vocatus est [22]), quum Romanae poesis et pater et Homerus non sibi tantum, sed etiam aequalibus posterisque videretur. Quodsi porro Gellii tempore exstabat genus *Enniastarum*, hominum non indoctorum, qui in theatris Ennii annales cum magno populi plausu recita-

---

[17]) Hor. Epp. II, 1, 50.:

Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.

[18]) Persius Sat. VI, 7.:

Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quinctus pavone ex Pythagoreo.

[19]) Cic de Divin. II, 50; de Nat. Deor. I, 42; de senect. 4.

[20]) Or. pr. Archia poet. c. 8. pro Cornel. Balbo. 22: summus poeta noster.

[21]) Ibid. p. 1.

[22]) Hor. Epp. I, 19, 7. ibid. II, 1, 50. Lucret. Car. I, 111.

bant [23]), recte Seneca illum *populum Ennianum* appellavit, quod antiquitatis speciem adeo diligeret, ut vel Virgilius versibus quibusdam aliquid supra mensuram trahentibus interpositis hanc recenti carmini suo praetendere studeret [24]).

Tam clarus revera honor non dissimulata imitatione aliorum paritur [25]). An vero, si expressisset Ennius antiqua carmina, fallere aequales hac de re potuisset Fabios, Catones, Cincios, quibus iidem sane fontes ac ipsi paterent? Quid porro? Quum Crates Mallotes non multo post Ennii mortem studium grammaticae in urbem intulisset, Romani eum hactenus imitati sunt, ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, et legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent. Sic Q. Vargontejus annales Ennii certis diebus magna frequentia pronuntiabat; sic M. Pompilius Andronicus Ciceronis tempore praecipuum opusculum annalium Ennii elenchorum conscripsit [26]). Nonne igitur in antiqua carmina epica, si exstitissent ea aetate, eodem modo se convertisset grammaticorum studium, ut Aelius Stilo carmina Saliorum interpretatus est? Nonne prorsus eorum vestigia in annalibus Ennii reperissent, ut Homeri et Naevii imitationes invenerunt?

At tum e Varronis libris de poetis et de poematis [27]) posteriores grammatici hanc notitiam suscepissent, ab his nos ipsi quaerere possemus, nec Cato de more canendi

---

[23]) Gell. N. A. XVIII, 5.

[24]) Seneca ap. Gell. XII, 2, 3. sq.

[25]) Homerum ab Ennio haud raro tantum non translatum esse, et Cicero docet: de Fin. Bon. et Mal. I, 3, et fragmenta affirmant. Etiam Naevium imitatum esse illum cf. Cic. Brut. c. 18.

[26]) Sueton de illustr. gram. c. 1 et 8.

[27]) Gell. N. A. XVII, 21, 43. cf. Baehr. Hist. Litt Rom. II, p. 33. ed. 3. 1845.

laudes majorum ut de usu vetustate jampridem obruto loqueretur. Ergo Punici belli secundi tempore neque Ennius, Cato, Fabius Pictor, neque alius quisquam aut legit aut audivit cantata sublimia et antiqua carmina epica.

Quamobrem, quod Niebuhrius, ut suae conjecturae veri speciem vindicaret, probare studuit, celerrime tum, quum Graecarum literarum praestantia Romae notesceret, Latinos libros in oblivionem abiisse, plane nullis nititur in argumentis [28]). Eodem consilio quod opprobrium facit Ciceroni, eum domestica prae Graecis poetis neglexisse, vanum esse, quicunque ejus libros legerit, facile concedet [29]).

Restat denique hoc, quod demonstretur, Ennium revera primum fuisse, qui editis annalibus suis poetarum nomini antea vel invidioso apud Romanos debitum vindicaverit honorem. Sunt enim optimorum scriptorum loci, qui nullo modo id in honore fuisse, antequam Graecae literae in urbem manarent, haud obscure indicant; eorum vero sensus per opinionem praejudicatam temere distorti sunt. Quo in genere Cicero loco de carminibus convivalibus supra memorato addit verba: »honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua objicit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset« [30]). Hic objicere miro arbitrio Krausius Ciceroni audet, quod diversa tempora confundat, quum Cato de aetate multis saeculis ante suam loquatur, Cicero de ipsius Catonis [31]). Additamentum enim illud, qui modo sanis utitur oculis, videt hoc tantum pro loci connexu significare: non in honore fuisse antiquissimis temporibus poetarum nomen, etiam

[28]) Nieb. Hist. Rom. III. p. 366.

[29]) Vel Krausius hac in re discedit a Niebuhrii sententia p. 97.

[30]) Cic. Tusc. IV, 2.

[31]) Cf. Krause p. 54. not. In sanam sententiam disputat de ea re Ulricius Char. d. alt. Historiogr. p. 98.

eo conspici, quod ne Catonis tempore opprobrium ab eo cesserit. Quod praeterea rhetorici mendacii Catonem Krausius arguit, indicat certe, quam sit fictum illud opprobium, ut praejudicatae satisfieret sententiae.

Alius legitur locus apud Gellium e Catonis libro qui inscriptus est *carmen de moribus* depromptus: »Poeticae artis honos non erat. Si qui in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur« [32]. Quem locum eadem ratione sua usus Krausius de eo tempore scriptum esse nobis persuadere vult, quo Graecae literae in Latium migraverint. At unde hoc conjiciat, assequi non possum. Immo connexus illius capitis apud Gellium docet, se ipso antiquiores mores Catonem describere.

Conspicitur praeterea ex Hecyrae Terentianae prologo, non tanto in honore habitos esse apud Romanos ludos scenicos, quin urso vel pugili in scena actor fabularum cedere interdum debuerit [33]. Quem locum Krausius nullo negotio ita absolvere satis habet, ut dicat: pudendum esse etiam nostris diebus resonare quod comicus male facetus dixerit. At Horatii similem locum idem probantem silentio praeterire praefert [34]. Quid? Num etiam Horatius male facetus? Plebem istiusmodi rebus etiam posteriore tempore delectatam esse, quasi non ludi gladiatorii et bestiae docerent. Sed inspiciamus ulteriorem ejus argumentationem.« Livium Andronicum non magno apud aequales honore floruisse,« id quidem facere non potest, quin Osanno concedat [35]. Tamen ad evertendum Terentii locum pro argumento profert, »quod Ennius et Naevius cum viris nobilissimis familiaritate juncti fuerint.« At de Naevio plane contrarium constat;

---

[32]) Gell. N. A. XI, 2, 5.

[33]) Terent. Hecyr. prol. v. 4. alter prol. 26, 31. cf. Osann Anal. crit. p. 2. sq.

[34]) Hor. Epp. II, 1, 185.

[35]) Osann. Anal. crit. p. 8.

Ennium vero utinam ne testem adhibuisset honoris, quo floreret quondam popularis Romanorum poesis, quippe quem idem gravissimum ejus adversarium putaret. Praeterea, etiamsi Ennius et Naevius honoratissimi fuissent apud nobiles, hoc argumento minime demonstratur, eodem floruisse poesin apud universum populum.

Quin etiam quum Romae fabularum actores ignominia quadam affecti essent, fieri non potuit, quin abhinc etiam macula quaedam poetarum nomini inhaereret, qui ipsi primis temporibus essent suarum fabularum actores. Praeterea quod Niebuhrius e censorum interdictis atque senatusconsultis ad spectaculorum luxum cohibendum promulgatis conjecit, pronum fuisse ad poesin ingenium Romanorum, poetasque jam ante Ennium honoratos fuisse, fundamento carere videtur. Nam primum, quo tempore una cum literis Graecis etiam luxuria in urbem irrepere coepit, homines de plebe e ludis Oscis spectandi agendique res ridiculas voluptatem quaesiverunt, non sublimis poesis insito atque innato impetu studioque ducti sunt; id quod colligitur ex iis quae supra de ludicris carminibus et de Atellanis observata sunt. Deinde Censores reipublicae utilitatibus consulentes detrimentumque luxuriae et delicatae vitae a Graecia gliscentis in urbem poetarum jucunditate seu utilitate non compensari putantes, ut ab illa populum retinerent, interdicta promulgabant, ideoque etiam minime gratam de poetis vulgo opinionem confirmare et in pejus detrahere studebant. Etenim est hoc bene observandum ac tenendum, a nobilibus primum ut a Livio Salinatore, Scipionibus, Fulviis artes moresque Graecos adoptatos esse, quum multitudo in antiquis haereret. Quae si tam prona fuisset ad Graeca excipienda suamque patriam poesin obliviscendam, qui queri Horatius posset, populum, nisi quae a suis temporibus hoc in genere semota putaret, odisse [16]).

---

[16]) Hor. Epp. II, 1, 20.

Quare, quamvis placerent Livii Andronici et Naevii comoediae, tamen nesciebat populus, an pudendum esset, quod placerent. Naevius vero epico de bello Punico primo carmine suo quamquam populi favorem ita nactus erat, ut etiam Horatii tempore in mentibus haereret paene recens [37]), tamen apud nobiles placere non potuit ob maledicentiam, apud eruditos Graecisque literis imbutos, quia forma poematis horrida ac rudis videbatur.

In has igitur et temporum et hominum rationes incidebant Ennii annales. Is denique omne tulit punctum, quippe qui annalium Maximorum fide ac sanctitate, quam sequeretur, populi favorem summum sibi conscisceret, Graeca artis forma in literas Latinas recepta eruditorum nobiliumque approbationem admirationemque consequeretur. Nam revera annalium illorum fidem poetam secutum esse, docet nomen carminis [38]), quum praesertim, Fabio Pictore eodem demum tempore annales suos conscribente, non posset alium habere unde hauriret fontem. Quodsi jam supra demonstratum est, antiquorum monumentorum studiosum fuisse Ennium [39]), jure Cicero, et Annalium Maximorum et totius historiae Romanae peritissimus cognitor, haud raro Ennium in historicis rebus testem adhibet, tantumque fidei tribuit ei, ut Herodotum illo veraciorem esse neget [40]). Nam bene intellexit Ennius, si placere vellet carmen suum Romanis ad rerum, ut essent, non ut fingi possent, jejunam semper contemplationem pronis, non debere illud ab annalium

---

[37]) Hor. Epp. II. 1, 53.

[38]) Cf. Diomedes III, p. 480.

[39]) Idem docent hi versus ap. Gell. N. A. XII, 4:

···multa tenens antiqua, sepulta vetustas
Quae facit, et mores veteresque novasque tenentem,
Multarum veterum legum Divumque hominumque
Pandentem··

[40]) Cic. Brut. c. 15; de Div. II, 55. Etiam Nieb. H. R. I, 283 in conputandis annorum rationibus Ennio aliquantum tribuit.

publicorum, duodecim tabularum, aliorum monumentorum pervetustorum fide discedere. Inde factum est, ut Ennius cum Fabio Pictore ubique consentiret [41]).

Ennius primus imaginem historiae Romanae magnificis coloribus depictam admirantis populi oculis proposuit, et docuit Romanos, nullum esse Achillem, nisi Homerum facinorum suorum praeconem invenerit. Ab Ennio igitur primum is succrevit poesi et poetis apud Romanos honor, ut hi jure ab eo sancti appellati esse multitudini viderentur, et hoc plane sensu cecinit Lucretius:

»Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni frunde coronam,
Per gentes Italas hominum quae clara clueret« [42]).

Ergo demonstratum videtur, nullam causam rationemque esse, cur perierint, si fuerint olim, epica carmina longiora apud Romanos. At non fuisse ullo tempore sequenti capite demonstrandum erit.

XII.

DE QUINTO URBIS CONDITAE SAECULO NOTITIA.

Non alius faceret meliora poemata, verum
Nil tanti est . . . .

Horatius.

Quintum ab urbe condita saeculum Niebuhrius statuit, quo potissimum canerentur sublimia epica carmina, primum quod ipse profitetur, nonnisi sacerdotum patriciorumque angusta ac superstitiosa dominatione collapsa[1]), liberum

---

[41]) Cf. Petersen. Origg. Hist. Rom. p. 4.

[42]) Lucret. Can. de ver. nat. I, 111.

[1]) Hanc enim ob sacerdotum dominationem liberiorem poesin apud Etruscos existere non potuisse profitetur Nieb. hist. Rom. I, p. 147.

epice fingendi impetum excitari potuisse, tum quod absurdum esset, si quis de iis temporibus, de quibus genuina et una cum rebus gestis scripta monumenta publica nuntiarent vera, contenderet carmina fuisse historiae fontes, qui per liberam fingendi licentiam plane ab illis discederent. At quoniam pleraque scripta monumenta Gallico incendio consumpta traduntur a Livio [2]) hoc alterum impedimentum tollitur. Quare abhinc carmina, quippe quae antea ab illis non multum aberrare possent, novam formam Niebuhrii opinione assumpserunt, atque abhinc plebejorum ingenio et liberali imaginandi inveniendique facultate tam multa tradita, quae ne vestigium quidem verae historiae haberent.

Tamen hoc ne uno quodammodo ictu subito provocatum videatur, a Gallico incendio octoginta circiter annorum spatium constituitur, quo ad illud claritudinis fastigium medii quinti saeculi poesis progredi potuerit, quum praesertim vix breviore tempore posset carmen de Camillo ab omni historiae veritate discedere. Simile fere tum annorum spatium restat, quo usque ad Ennii aetatem decrescere et in oblivionem sensim apud populum abire possit epica poesis.

At vero hae rationes, quae ex ipsa re vocantur ductae, facile ejusmodi generis quidem sed firmioribus argumentis labefactari ac refelli et possunt et debent. Primum enim consentaneum est vix ullum reperiri posse tempus, quo minus prona ingenia Romanorum esse possent ad epice canendi sublimem impetum, quam initio quinti saeculi. Nam post cladem Gallicam res bellica miserrime jacebat, domi omnia miseriarum plena erant; plebs nexu et aere alieno oppressa, patricii argentarii et foeneratores; acerrimae et continuae de imperio plebis cum patriciis contentiones et acerbissimi inter utrosque

---

[2]) Liv. VI, 1.

odii stimuli: quae omnia conspicuis splendidisque coloribus ab ipso Niebuhrio depicta sunt[3]).

Tum, quum harum miseriarum dissensionumque civilium tandem leges Liciniae, Publiliae, Poeteliae, Ogulniae medicinam attulissent, idem Niebuhrius persuadere nobis voluit, hac quae secuta sit beata nascendi aetate[4]) plebeji ingenii poetas quosdam omissa hujus amplitudine, regum patriciorumque praeterita tempora praesentibus nequaquam paria epicis celebrasse carminibus. At sicut juvenis magnis in rebus multo majore etiam futurarum spe ac studio occupatus non est infantiae suae exactique temporis longus laudator, ita minime consentaneum est Romanos acerrime decertantes cum fortissimis nationibus de Italiae dominatione, in summas res intentos, minutiores majorum carmine persecutos esse. Quid porro? Quum antiquissimis temporibus a patriciis clarissima quaeque gesta esse pro patria vel ex iis ipsis eluceat narrationibus, quae e carminibus plebeja voluntate compositis redundasse dicuntur, quid tandem impellere poterat plebejos poetas, ut a plebejis quoque nonnulla haud ita obscure facta memorarent, quae tamen patriciorum meritis multo superarentur? Quanta vero haec merita fuisse crederes, de quibus jam adversariorum carminibus fieri non posset, quin aliquantum detractum esset. Nonne horum contemplatione ingrati animi crimine se obstringi sentire plebs debebat, quod tantorum virorum posteris una cum privilegiis etiam fructum eripuisset virtutis patrum? Praeterea omni diligentia homines novi caverent necesse erat, ne patriciae amplitudinis, imaginum, gentiliciorum sacrorum, pristini temporis triumphorum, magnorum certe in consulatu ceterisque magistratibus petendis vulgo adjumentorum, memoriam aut carminibus aut alia ratione revocarent et refricarent. Quodsi epicis cantile-

---

3) Nieb. Hist. Rom. II, 652, 663, 671, 632.

4) Sic appellat hanc aetatem Nieb. H. R. III, p. 144.

nis Cincinnatorum, Camillorum, Posthumiorum, Claudiorum, aliorum, qui semper inimicissimi fuissent plebejorum nomini, grandia facta cecinissent, nonne plurimum suis in republica partibus nocuissent opposito ante oculos multitudinis illorum antiquo splendore ipsorum nullis majorum meritis sancitae novitati. Sin, ut odium exprimerent suum, plebeji superbiam crudelitatemque patriciorum canere voluissent, etiam de ipsorum vinculis, sordibus, miseriis memomarent necesse erat, ideoque epica illa carmina aut in satiras aut in elegias degenerarent necesse erat.

Hoc et a sui amore et a civili ratione plebejorum pariter erat alienum. Immo qua de causa apud Francogallos in praeteriti modo saeculi civilibus perturbationibus homines populares splendorem regni Ludovici quarti decimi, quem vel inviti negare non possent, in memoriam multitudinis revocare omni modo iniquum et a sua re alienissimum putabant, eadem de causa Romae plebeji, ubi aequam cum patriciis gubernandae reipublicae partem adipisci studuerunt, de pristino patriciorum splendore, virtute, potentia verba facere aut cantare inutile sibique contrarium existimabant; et ut nobilitas illa a Napoleone imperatore instituta, ut meritis quaerendum esset praemium, splendidissimis factis rebusque domi bellique gestis veteris nobilitatis majorum imaginibus sancitae privilegia se compensare ac destruere posse confidebat, sic plebeji Romani, intentis et in praesentes res et in futuras viribus, patriciorum praeteritum pristinumque splendorem recentibus meritis aequare quam maxime studebant, neque in mentem iis venire poterat, gloriam laudemque illorum epicis carminibus aut augere aut detrectare.

Itaque Niebuhrii conjectura de plebejo illo carmine cum arte civili et utilitatibus studiisque plebejorum in republica nulla ratione convenit. Neque ipse quidem hac in conjectura sibi constat, quippe qui de Camilli, Cincinnati, Coriolani factis, acerbissimorum plebis adver-

sariorum, et carmine plebejo, et familiarum vanitate patricia multa aucta, addita, inventa professus, jure detrectare sibi gloriam illorum omni ratione videatur. Hoc opinor loco apparet voluntas odiumque illud plebejum, quod rhapsodi illi consentientes cum vanitatis rationibus familiarum superbissimos patricios justo longe majoribus laudibus neglecta historiae fide ad coelum tollebant.

Sensisse hanc repugnantiam Krausius et Petersenius videntur[5]) ideoque ad illud confugiunt: alia plebeji ingenii carmina epica popularia fuisse, alia patricii. At hoc diverticulo nihil omnino efficitur. Nam nisi in his carminibus praecipue statueris valuisse plebejam voluntatem, nulla inveniri potest causa, qua vicissitudines novaque forma eorum declaretur; non possunt igitur, patriciorum praesertim sententiis cum plebejorum mixtis invicemque sibi obtemperantibus, tam multa mutata, fucata, ficta esse, quae ne speciem quidem verae historiae haberent.

His vicibus igitur carminis epici quod putatur Romanorum continui nulla ratione consentaneis, jam ad id ducitur Niebuhrius, ut aut priora tempora, quibus videlicet stabat illa angusta superstitiosaque sacerdotum dominatio, sublimi liberalique poesi populari designet, aut omnino non multum discessisse ab historicorum monumentorum fide concedat. At eum utraque in re sibi deesse, ex iis quae supra dicta sunt apparet.

Affert denique Niebuhrius ad sententiam de flore epicae poesis suam defendendam, auream aetatem artis fuisse apud Romanos medium quintum saeculum[6]). Nam quod C. Fabius Appii Caeci tempore Salutis templum pinxerit, indeque traxerit Pictoris nomen, documentum esse memoriae relictum, quam liberalis pingendi ars Romae in honore fuerit. At enim primum ipsum cognomen e contrario exprimere videtur, singulare, novum,

---

[5]) Krause H. Litt. R. p. 46. Petersen Origg. H. R. p. 10.
[6]) Nieb. H. R. III, p. 415.

inauditum fuisse, quod vir nobili loco natus ad picturam se applicaret. Etenim ut nemo civis Romanus seu Fortis, seu Bellatoris, seu Jurisconsulti cognomen accepit, quia haec omnium civium esse et solebant et debebant, non illi uni Pictoris nomen inditum esset, si multi fuissent florente pingendi arte pictores.

Tamquam non id ipsum Cicero certissimis verbis profiteatur: »An censemus, si Fabio nobilissimo homini laudi datum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos Polycletos et Parrhasios fuisse. Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, jacentque ea semper, quae apud quosque improbantur [7]).« Quis tandem haec verba aliter intelligere potest ac: *jacuisse ea aetate artem pingendi?*

Praeterea vero ludicorum versuum licentiam progrediente plebis libertate crescentem, et sales facetiasque Romanae saturae, quae quinto potissimum saeculo floruisse videtur, obfuisse epice canendi studio impetuique sublimiori, in natura ingenii humani positum est. Ergo non floruit apud Romanos epica poesis popularis, nec prioribus saeculis floruisse eam consentaneum est.

XVII.

DE RELIGIOSA NON POETICA HISTORIAE ROMANAE SPECIE.

Prodigiosa fides et Tuscis digna libellis.
Juvenalis.

Ab iis qui epica carmina fontes fuisse, unde fluxerit historia Romana, Niebuhrii divinandi ingenio freti statuerunt, hoc unum postremo ut argumentum praecipue

---

[7]) Cic. Tuscul. I, 2.

Sabinis compositam finem esse epici carminis, quod ab infantia Romuli incipiat, deinde separanda ab illo per aliquantum temporis facta quaedam posteriore tempore addita, eodem vero splendore carmen iterum apparere, ubi ad deos Romulus extollatur [4]). Quae igitur sacris cantilenis a Romanis indigetata esse e Dionysii locis supra demonstravimus [5]), ea ipsa Niebuhrius carmine epico descripta atque enarrata putavit; vidit quidem ille carminum his in rebus vestigia, at verum genus eorum non accurata diligentia perscrutatus est.

Sed dixerit quispiam, etiamsi e sacris cantilenis origo illorum mythorum repetenda sit, tamen posse hos posteriore aetate epicis carminibus mutatos et in aliam formam redactos esse. Ad quae hoc tantum respondendum videtur. Primum si revera de his primordiis historiae Romanae populare et continuum carmen epicum ejusdem generis ac Homericum compositum esset per poetarum vel rhapsodorum vel convivarum cantantium poeticum impetum artemque, sacrae fabulae ita commixtae, exornatae, immutatae essent, ut sensus earum genuinus et subtilior esset dilutus et exstinctus, nec nos singulas mythi partes ad certa sacra, instituta, loca referre possemus. Deinde vero, quoniam jam supra demonstravimus sacras Romanorum cantilenas, sicut antiquitus conceptae fuerint, ita a sacerdotibus angusta religione ad singula usque verba syllabasque semper retentas et conservatas esse, ex hoc fundamento nulla ratione epica poesis sublimiorem capere poterat impetum nascendi et libere se excolendi. Immo ut fabulae illae sacris carminibus indigetatae jam priscis temporibus perscriptae erant in sacris sacerdotum libris, sic inde apud populum sancitae antiquitatis tenacem religiose servatae manserunt.

---

[4]) Nieb. Hist Rom. I, p. 244. ed. 3.
[5]) Cf. Cap. VI.

Quo in genere minime negligendum est, hand raro in historia Romana priora fabulosa repeti et in recentiores res immisceri. Sic Tullus Hostilius ob religiones aut neglectas aut male curatas fulmine ictus conflagrasse dicitur ut Albanorum quidam priscus rex, sic Ocrisia phallo gravida fit eodem modo ut ancilla Tarchetii Etruscorum regis. Ut porro e tribus Horatiis cum Curiatiis pugnantibus duo cadunt, tertius victor exstitit, sic e tribus Romanis qui pontem a Porsenna defendunt duo in flumen desiliunt, tertius Horatius Cocles patriae servator manet, donec pons plane ruptus est. Nec fortuita est similitudo quaedam intercedens inter narrationes de Rhea Silvia, Tarpeja, Lucretia, Virginia traditas, quae omnes virgines virili libidine in cruentum exitium deductae esse dicantur. Nam ad haec quatuor nomina res gravissimae in historia Romana annexae sunt: ipsius urbis primordia, coloniae Sabinae adventus in Capitolino monte, Tarquiniorum regum ejectio, plebis libertas a patriciorum Decemvirorum tyrannide vindicata.

His vero e repetitionibus perspicitur, jam ab Anci Martii temporibus, unde incipiat historia Romana, in religionibus atque animis civium Romanorum exstinctam füisse vim ac facultatem illam, qua novae fabulae seu mythi procreari et contexi possent.

Praeter hanc vero argumentationem e natura fabularum et carminum sacrorum ductam, contemplatis Romanorum antiquissimis literarum monumentis planum fit, quaecunque etiam eorum temporum, de quibus certa exstent testimonia, fabulosa videantur, non ex epicis carminibus, sed e sacris libris fluxisse. Ab antiquissimis enim temporibus primum dicuntur servati esse commentarii regum, quos totum jus sacrum continuisse antiquissimum, cum ab aliis viris doctis, tum a Petersenio diligenter expositum est [6]), deinde et pontificum et ceterorum

[6]) De singulorum regum Romuli, Numae, Tulli Hostilii, Anci Martii commentariis disputat Petersen Origg. Hist. Rom.

sacerdotum libri, e quibus Fabius Pictor, Cincius Alimentus, Piso, alii Annalium scriptores ritus et instituta antiqua eorumque causas, veteres formulas et carmina solemnia ut genuino e fonte hauserunt[7]), iique etiam a Cicerone et Horatio inter vetustissima literarum monumenta habentur[8]). Accedunt libri fatales, augurales, Etrusci fulgurales et tonitruales, vatum annosa volumina prodigiorum, procurationum, responsorum, vaticinationum plena, rituales denique libri in quibus Verrio Flacco auctore praescriptum erat, quo ritu condantur urbes, arae, aedes sacrentur, qua sanctitate muri, quo jure portae, quomodo tribus, curiae, centuriae distribuantur, exercitus constituantur, ordinentur, ceteraque ejusmodi ad bellum ac pacem pertinentia[9]).

Hoc igitur totum genus in condenda historia Romana vel summi fuisse momenti in aprico est. Nam primum in his libris quoniam comprecationes deorum Romanorum, caerimoniae solemnium et sacrificiorum, jura sacra simili ratione atque in tabulis Eugubinis et Arvalium fratrum monumentis perscripta essent, etiam fieri non potuit, quin ea, quae sacris cantilenis significata

---

p. 24. sp. Etiamsi hos auctores fuisse nequaquam credendum, tamen jam a regum tempore exstitisse genus sacrorum librorum, negari non potest.

[7]) Hoc accurate demonstravit Lachmann. de Fontibus T. Livii p. 7, 27, 29, 116, 117, 79. Etiam Niebuhr. H. R. I. p. 618. I, 259. I, 362. I, 528. II, 2—3. II, 310 inde sacri juris formulas, prodigia, pestilentiarum terraeque motuum descriptionem in Livii narrationem fluxisse censet. Ceterum varie hi libri appellantur: libri qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, libri ad sacra populi pertinentes, libri sacerdotum P. R., commentarii Pontificum, Pontificum libri, commentarii sacrorum pontificalium. Cf. Fest. ed. K. O. Muell. Index II. Gell. N. A. Ind. libr., Serv. Aen. IX, 408. Val. Max. I, 1. 3.

[8]) Cic. de Orat. I, 43. Hor. Epp. II, 1, 28. cf. D. Magn. Auson. Com. Prof. XXII.

tantummodo erant, fusius exposita legerentur. Deinde quum gravissimis reipublicae Romanae temporibus prodigia publice procurarentur, vatum praedictiones ederentur, quumque comprecationes deorum juberi, templorum spoliorumque dedicationes institui, deditiones fortium virorum pro patriae salute fieri solerent, harum rerum necesse erat, admixta sacerdotum superstitiosa contemplatione ideoque majore in singulis explicandis cura ac diligentia, quam in publicis fastis ceterisque si qua exstabant monumentis, saepe mentio fieret in his sacerdotum libris. Maxime vero animadvertendum ac tenendum, hos libros, quum Livii testimonio pleraque literarum monumenta Gallico incendio periissent, una cum ceteris rebus sacris a sacerdotibus servatos esse [10]), unde etiam posteriore aetate commentarii Romuli, Numae, Tulli Hostilii, Anci Martii exstare putabantur.

Simile vero valet etiam de Annalibus Maximis. Nam quamvis constet jejunum fuisse in iis scribendi genus, quo, quid unoquoque anno gestum esset, magis enumeraretur, quam enarraretur [11]), tamen, quoniam usque ad Ogulniam certe legem a patriciis sacerdotibus conscriberentur, consentaneum est, etiam superstitiones omnes, quibus aut plebem obstringere vellent, aut se ipsos obstrictos illi sentirent, in Annales Maximos manasse. Quamobrem et Cato ac Plinius multos eos fuisse cum taedio quodam tradunt in nugatoriis superstitionibus explicandis [12]), et

---

9) Fest. v. Rituales p. 285.

10) Liv. VI, 1. Nieb. Hist. Rom. II, p. 2, 3.

11) Cf. Cic. de Or. II, 1—2. Serv. Aen. I, 373. Gell. N. A. V, 18, 7. Diomed. III, p. 480.

12) Cato Origg. ap. Gell. N. A. II, 28, 6. dicit scriptum fuisse in tabula apud pontificem, quotiens annona cara, quotiens Lunae aut Solis lumini caligo aut quid obstiterit Plinius H. N. VIII, c. 57: nam soricum occentu dirimi auspicia Annales refertos habemus. Cic. de. Legg. I, 2. jejunum appellat scribendi genus.

Quinctilianus [13]) tantum fabularum in iis invenit, ut non inutiliter censeat subjungi iis, ut carmine traditis, opus confirmandi et destruendi. Sic fieri non poterat, quin cum sacris libris Annales Maximi his de rebus plane consentirent, quum eodem ingenio et manu utrumque genus conscriptum esset. Itaque perierint licet Gallica clade Annales Maximi, tamen ex his sacris libris et aliis quibusdam scriptis monumentis publicis, quae Senatus statim recepta urbe a Gallis conquirenda et restauranda curavit, in integrum restitui poterant.

Quodsi his antiquissimis in fontibus historiae Romanae, quaecunque acciderant aut bona ant mala, semper ad deos auctores referebantur, nullo causarum necessario connexu explicato, mirari non possumus dramaticum quendam colorem in res Romanas effusum esse, quem in fatalibus Graecorum tragoediis invenimus. Hunc vero et Dionysius et Plutarchus bene observarunt [14]), nos in Livii narratione ubique subesse sentimus [15]). Perlustrantibus igitur Dionysii ac Livii libros usque ad Gallici incendii tempus in unaquaque fere pagina occurrunt res quaedam enarratae, quas non posse nisi e sacerdotum superstitiosis libris depromptas esse, tam perspicue elucet, ut superfluum videatur earum recensum hoc loco adscribere. Hae vero facile ubique e cetera narratione sejungi possunt, ut nullum inde existat sani connexus detrimentum, et integra plerumque et jejuna historia restare vi-

---

[13]) Quinct. Inst. Orat. II, 4, 18.

[14]) Dionysius in historia Romana agnovit A. R. III, 18. θεατρικὰς περιπετείας; Plutarchus Rom. c. VIII: ὕποπτον μὲν ἐνίοις ἐστὶ τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες.

[15]) Cf. Liv. V, 21, 22. 32. V, 37. V, 42. V, 49. Etenim Livius profitetur V, 21, fabulosa quaedam in historia Romana ad ostentationem scenae, gaudentis miraculis, aptiora esse quam ad fidem historiae. Epici carminis simile nec Dionysius nec Plutarchus nec Livius unquam divinavit.

deatur. Quod qui fecerit, persuasum sane habebit minime hanc in carmine epico niti.

Ergo non sunt fabulae historiae Romanae liberali poetarum imaginandi vi inventa, sed angusta superstitiosaque sacerdotum religione e sacris libris repetita, nec est poetica sed religiosa species ejus.

Praeter hoc vero fabularum genus ratione habita, quantum Romanorum umbratili superbia dedecorisque tegendi studio, familiarum arrogantia, pontificum in commodum patriciorum corruptionibus fucata sit memoria historiae Romanae, satis superque declaratur, unde quaecunque inventae sint repugnantiae et fabulae in eam fluxisse videantur.

XVIII.

EPILOGUS.

Valete! et me palmulis producite!
Varro.

His omnibus de quibus egimus rebus rationibusque perpensis, non est difficile intellectu, quid sit quod Homericum carmen epicum ex ingenio populi Romani procrescere non potuerit, et claudicet hac in re comparatio Graecorum cum Romanis.

Nam ubi primum Graeci, ad arma ferenda adversus communem hostem velut Trojanos consociati, unam se esse nationem eadem stirpe ortam sentire coeperunt, confluentibus religionibus et fabulis sacris, quae apud incolas singularum regionum natae erant, in unum locum, etiam communis quaedam ingeniis omnium gentium illarum formari coepit species notioque deorum immortalium. Deinde quum magnis migrationibus, ex quo primum Thessalorum gens e montibus Epiri in Boeotos prorupit, Aeolenses, Dorienses, Jones, Pelasgicae gentes varium in

modum jactarentur in tota Graecia Asiaque minore, etiam religiones fabulaeque sacrae earum tam varie connecti et confundi coeptae sunt, ut novae, versicolores, multifariae inde illarum species formaeque concrescerent. Tum igitur coorta est familia conciliumque deorum Olympicorum ac tota Theogonia, et quoniam a suis indigenis diis unaquaeque gens stirpem repetere consueverat, etiam heroum catalogi genelogiaeque confictae sunt. Haec erat aetas popularis Graecorum ingenii, qua, regibus munere patrum familias fungentibus, republica non jam certis legibus circumscripta, e sacris cantilenis ad certas aras earumque religiones adstrictis Orphica carmina liberiora ac sublimiora totumque hymnorum genus prodire, mox epica poesis Homerica procrescere ac florere coepit.

Talis sane aetas ab originibus historiae Romanae plane abest. Nam quum trium populorum jam civilibus sacrisque institutis florentium coloniis in unum locum congregatis, non tam exstaret communis stirpis quam utilitatis publicae vinculum quo continebantur, civitas urbis Romae, non gens Romana exstitit. Lege igitur, prout utilitas illa poscere videretur, religionibus publice sancitis, lege jam vetustissimis temporibus sacris cantilenis anguste et superstitiose circumscriptis, nec mythus liberam fingendi vim habere poterat, neque una cum hac e sacris canticis liberior epica poesis se expedire valebat.

Quamobrem nihil efficitur comparatione Homerici carminis cum rebus Romanorum; nam omnino Graeci ab artium pulchritudine legem modumque rerum quaerebant, Romani ipsam artium pulchritudinem lege in commodum rerum vertere volebant, unde ab illis legem artis, ab his artem legis accepimus.

An vero quidquam valet hac in re exemplum Graecorum recentiorum adhibitum? Etenim ubi gens omni juris legumque praesidio spoliata surgit adversus tyrannidis stipendiarios, tum renata videtur heroum illa aetas qua in animis, manibus, mucronibus fortium virorum

una salus, unum officium, una lex nititur, tum illius temporis redeunt ingentia ac miranda facta, tum illius aetatis revocantnr voces et cantus, qui per legitima tempora conticuerunt. Apud Romanos contra totus historiae usque ad medium quintum saeculum progressus in eo nititur, quod patricii privilegia sua antiqua avitis legibus defendebant, plebs aequam cum illis gubernandae reipublicae partem novis legibus rogationibusque, patriciorum vel minime voluntario consensu sanciendis, sibi vindicare solebant. Plebs secedebat[1]), et ab hoste se fugari passa est, ne aperto tumultu leges evertere videretur, et patricii omnibus machinationibus suis legum speciem praetendere studebant. Ad armorum non ad legum certamen pertinet epicum carmen.

Pari inconstantia etiam Nibelungorum carmina e fabulis indigenis carminibusque Gothonum, Thuringorum, Francorum, Burgundionum per populorum migrationes varie translatis commixtisque concreta et Hispanorum poema populare quod Cid inscriptum est, a migrantibus quondam poetis musicisque, religionis, amoris, fortitudinis praeconibus cantitata aetate grandium factorum mirabiliumque rerum fertilissima, ad rem plane dissimilem demonstrandam collata sunt.

---

[1]) Pulchre et significanter Livius de ea aetate dicit VIII, 40: ultimaque rabies secessio ab suis habebatur.

XIX.

DE VERSU SATURNIO.

Quae sit figura versus,
Quem credidit vetustas,
Tamquam Italis repertum,
Saturnium vocandum.
Terentianus Maurus.

De numero Saturnio, quo pleraque Romanorum carmina composita fuisse vidimus, Atilius Fortunatianus sic loquitur [1]: »Habet autem prima parte jambicum dimetron catalecticon, in secundo trochaicon brachycatalecton quod ithyphallicum diximus;« pro qua sententia etiam Plotio probata [2]) Terentianus Maurus versum:

»Dabunt malum Metelli Naevio poetae«

ita explicat: „Dabunt malum Metelli, claude pars dimetri"
„Post: Naevio poetae, tres vides trochaeos."

Quibus grammaticis assentiens Hermannus ita scripsit speciem versus [4]):

⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑

Contra viri docti recentiores totum numerum trochaicum esse volunt duobus versibus ithyphallicis compositum, quorum priori mox addita sit, mox defuerit anacrusis, qua in iambicam inclinaret speciem. In hac igitur diversitate ut discernatur, utra magis consentanea videatur sententia, ad rhythmi naturam originemque vetustissimorum carminum spectemus necesse erit. Hic vero quod conjecit Hermannus ex Etruria versum Saturnium

---

[1]) Atil. Fortunat. ap. Putsh. p. 2698. Flavii Sosipatri Charisii de versu Saturnio commentariolus ex codice Neapolitano nunc primum editus (Goettingae 1841.) ad numerum Saturnium enucleandum vel minimi esse momenti videtur.

[2]) Plotius. Putch. p. 2650.

[3]) Terentianus Maurus p. 2439.

[4]) Herm. Elem. Doctr. Metr. p. 611.

Romanos suscepisse[5]) certa et sufficiente ratione carere videtur, quum etiam in priscis genuinisque Latinorum vaticinationibus sacrisque cantilenis fieri non posset, quin rhythmi quaedam species subesset, non extrinsecus semel excepta, sed rei ipsius natura semper pronata.

Ceterum ut omnino exsultationes, gestus, cantus in rebus sacris aut sublimem aut incitatum animorum religiosorum impetum motumque exprimunt, ita reapse intelligitur etiam in rhythmo sacrorum carminum infuisse aliquid elati atque incitati; id quod plane iambici est numeri: increscentis et elati a thesi in arsin, minime trochaici decrescentis decurrentisque ab arsi in thesin. Praeterea, si modo in Saliorum sacerdotum exsultationibus, si in fratrum Arvalium tripudiis anapaesticus ille numerus, quem omnino sacris armatorum sacerdotum saltationibus proprium fuisse scimus, latebat, ne ab hoc quidem videtur jambicus numerus alienus esse, trochaei sane quam maxime abhorrent. Pro hac certe versuum natura Diomedi potius et Asconio Pediano assentiendum videtur, qui totum Saturnium jambis constare rati senarium hypercatalectum dixerunt, quam recentioribus illis qui trochaeos cum anacrusi statuerunt[6]).

At ne ad merum jambicum quidem numerum versus quos habemus Saturnii quadrare nulla ratione videntur.

Quamobrem cum Hermanno hunc versum Saturnium inter *asynartetos* ponendum censeo, quippe qui hac

---

[5]) Elem. D. M. p. 606.

[6]) Huic sententiae favent Freese Metrik p. 117, Munk Metrik p. 130, Weise: Der Saturnische Vers im Plautus. Quedlinb. 1839, Clausen.: De carm. Fr. Arval. p. 22; contra Diomedes p. 512. Ascon. Ped. ad Ciceron. Act. 1 in Verrem c. 10. Cf. Grauert in: Koene, Sprache der Roemischen Epiker (Muenster. 1840.) p. 255 sq.

praegnantiore ratione e jambis et trochaeis concrevisse et coaluisse videatur. In omnibus nimirum cantilenis Romanorum popularibus duas cantantium partes aut choros universos aut singulos homines agere sibique occentare animadvertimus, quorum alteri semper quaerentis vel edicentis, alteri respondentis vel explicantis munere fungi quodammodo videntur. Sic in carmine fratrum Arvalium hujus versus:

E nos Lases juvate! E nos Lases juvate!

priorem partem ab altera parte chori decantatam ab altera posteriorem, similique ratione milites in triumphis singulos versus dimidiatos occentando jactasse supra observatum est. Pro hac igitur viva ac naturali versuum popularium scenica actione consentaneum erat, priore eorum parte numerum Saturnium increscere, altera decrescere, unde hic trochaei illic iambi prodierunt, prout grammatici plerique statuerunt.

Atvero quid est tandem quod plurimi versus Saturnii qui traduntur ad hanc figuram normamque metri ab illis constitutam nequaquam accedant? Nam et Atilius Fortunatianus cum Mario Victorino consentiens haec scripsit: sed praeterquam quod durissimos fecerunt, etiam alios *breviores* alios *longiores* inseruerunt, ut vix invenerim apud Naevium, quos pro exemplo ponerem[7]), et Servius arbitratus est Saturnium non ad certos pedes sed ad rhythmum solum compositum esse[8]), etiam ceteris grammaticis simile judicium facientibus. Quid igitur? Num hoc Duentzero et Lerschio qui nuper de versu quem vocant Saturnio librum scripserunt, concedi potest, fuisse hunc versum ita omnibus quantitatis et positionis legibus

7) Atil. Fortunat. p. 2679 cf. Streuber de Inscr. q. ad num. Sat. ref. p. 48.

8) Serv. ad Virg. Georg. II, 385.

solutum, ut syllabae numerarentur tantummodo [9])? Nihil vero minus: nam hujusmodi versus plane nullus est. Quos quidem reprehendens K. O. Muellerus in Supplementis annotationum ad Festum disputat in hanc sententiam: formam versus Saturnii ab antiquis traditam plane justam esse: modo unum observaveris ac tenueris, supprimi posse theses omnes excepta ultima, maxime penultima [10]). Hic de prima thesi quidem Muellerus cum aliis recte observavit, at tanta omnibus locis opprimendi theses licentia totus numerus vi nimis distorqueri videtur, quum praesertim nulla prorsus sit rhythmica ratio, qua ultima thesis religiose servanda sit.

Mihi vero inquirenti examinantique vetustorum carminum Latinorum reliquias haec communis lex et ratio Saturniis versibus subesse visa est:

Praeter *primam* et *ultimam thesin*, quas per se maxime mobiles interdum *abesse* a versu Saturnio jam alii observarunt viri docti [11]), pro *versus asynarteti natura media thesis* seu catalecticus in syllabam iambus maxime indifferens, ut Plotii verbo utar, facillime *omittitur*, voce pronunciantis sponte tacitam moram ibi faciente, ita ut priore versus parte pro jambico dimetro catalectico brachycatalectum habeamus, vel iambicam tripodiam trochaicae tripodiae in altera versus parte respondentem. Hac igitur ratione quum *prima*, *media*, *postrema thesis supprimi possit*, *octo oboriuntur asynartetorum versuum Sa-*

---

[9]) De versu, quem vocant, Saturnio scr. Henr. Duentzer et Laur. Lersch. Bonnae 1838. Nequaquam apud Latinos antiquitus quantitatem syllabarum esse neglectam propter accentum demonstravit jam J. A. Gottholdus: Ueber G. Hermann's Lehren vom Vortragen der Griechischen und Lateinischen Verse, Archiv für Philol. u. Paedagog. 2 Bd. (Leipz. 1833) p. 296.

[10]) K. O. Mueller Supplem. Annot. ad Fest. p. Fest. p. 396 sq.

[11]) De postrema mecum communicavit C. Lachmannus, post eum alii observarunt cf. Munk. l. c.

turniorum species ac formae, quarum *alterae quatuor*, ubi aut *una* tantum, aut omnes *tres* deficiunt *theses*, duabus *partibus* plane *aequalibus* morarum numero constant:

| | –́ ⏑ – ⏑ –́ |⏑| –́ ⏑ – ⏑ –́ |⏑|

|⏑| –́ ⏑ – ⏑ –́ | | –́ ⏑ – ⏑ –́ |⏑|

|⏑| –́ ⏑ – ⏑ –́ |⏑| –́ ⏑ – ⏑ –́ | |

| | –́ ⏑ – ⏑ –́ | | –́ ⏑ – ⏑ –́ | |

alterae quatuor, omissis aut duabus thesibus, aut nulla omnino, secerni possunt in duas partes *una mora differentes*, ita ut semper altera pars *acatalecta* altera *catalectica* appareat:

| | –́ ⏑ – ⏑ –́ | | –́ ⏑ – ⏑ –́ |⏑|

| | –́ ⏑ – ⏑ –́ |⏑| –́ ⏑ – ⏑ –́ | |

|⏑| –́ ⏑ – ⏑ –́ | | –́ ⏑ – ⏑ –́ | |

|⏑| –́ ⏑ – ⏑ –́ |⏑| –́ ⏑ – ⏑ –́ |⏑|

Hujusmodi vero duarum partium aequabilitas quam bene conveniat cum rhythmicis musicisque rationibus duorum chororum canendo sibi respondentium, etiam eo sentitur, quod modus canendi, quem subjectum tali versui tibi fingere possis, oppressis thesibus illis non mutari revera videtur. Has praeterea omissiones populari simplicique poesi et cantui vel maxime proprias esse, docent et antiquissimi versus epici Germanorum longiores [12]), et nostrarum hodieque cantilenarum sacrarum verba ac modi. Quamobrem antiquissimae populari Romanorum poesi proprium fuisse genus illud versuum Saturniorum dico, quo trochaicus et iambicus numerus

---

12) Cf. Lachmann, über althochdeutsche Betonung und Verskunst Abth. I. II. (Abhandl. der Berl. Acad. 1831. 32.)

non jam accurate olim discretus una comprehenderetur, propinquum illud quidem paullo elatiori et numerosae orationi prosaicae, prout supra vidimus a sacris carminibus formulisque antiquissimum orationum genus haud valde diversum fuisse.

Tamen ne sic quidem huic argumentationi ex ipsa re ductae confiderem, nisi hoc accederet ratiocinationis specimen ac firmamentum. Nam quum viri doctissimi non pauci, ut reliquias vetustorum carminum Latinorum ad normam Saturnii versus a se aut constitutam aut probatam dirigerent, conjecturis magis auctorum ingenium quam rei fidem probantibus magna licentia indulserint, ad has nostras numeri formas quicunque supersunt versus Saturnii sponte accedunt et accommodantur, ita ut nullis omnino mutationibus, additamentis, conjecturis opus sit. Quin etiam et plures integri, quam viri docti sibi invenisse visi sunt apud grammaticos, et concinniores meliusque sonantes hac simplici ratione se praebent nobis Saturnii versus, quum fere ubique naturalis verborum accentus cum ictibus versuum conspiret [13]).

Itaque ex omnibus deinceps vetustis literarum Latinarum monumentis, quorum certa est et perspecta auctoritas, ut e carminibus Saliorum et fratrum Arvalium, Scipionum titulis sepulcralibus, Livii Andronici Odyssea, Naevii carmine de bello Punico primo, prout thesibus omissis varia efficiuntur genera, versus Saturnios adscribam, omissis illis quae ad normam a grammaticis antiquis praescriptam quadrant.

---

[13]) De proprio illo verborum accentu bene monuit J. Caesar. (Zeitsch. für Alterthumsw. **1845.** No. **107.** p. **850**) qui reprehendit Godofr. Hermanni sententiam (Epitom. doctr. metr. p. **219—224**) qua magis numerasse quam ponderasse antiquos syllabas existimet.

1. *Prima thesis* omissa est, ita ut *duas trochaicas acalatectas* habeamus *tripodias:*

Carm. Sal.

Cúme tonas Leucésié praetexere mónti.
Ád patula coemísse Jáni Cusiánes.

Carm. Fr. Arv.

Sátur fufere Márs, limén sal esta bérber.

Mon. Scip.

Quóius forma vírtutéi parisuma fúit.
Súbigit omnem Loúcanam óbsidesque abdoúcit.
Lúciom Scipiónem. Fílios Barbáti.
Térra Publi prógnatúm Publio Cornéli.
Néi quairatis honórem quéi minus sit mandátus.
Mórs perfecit túa,-ut éssent omnia brévia.

Naev. Bell. Pun.

Scópas atque verbénas ságmina assumpsérunt.
Ínerant signa expréssa quó modo Titáni [14]).
Ís qui sursum ad coélum sústulit suás res [15]).
Námque nullum péjus mácerat hemónem [16]).
Ét qui dum mare súdantés eunt atque sedéntes [17]).

---

[14]) Versus ap. Prisc. p. 679 sic distribuendi: Inerant signa expressa quomodo Titani | Bicorpores Gigantes magnique Atlantes | Rhuncus ac Purpureus filií terras. Sic Muell. ad Fest. p. 397. Herm. Elem. D. M. p. 630 mutavit: magni Atlantes, versus mancos habet.

[15]) Herm. l. c. p. 631 totum versum mutavit. Ap. Non. v. gratulari p. 116 sequuntur verba: ammullus gratulabatur divis. Klussmann Cn. Naevii Vita et Reliqq. Jenae 1843. cum Merula emendat Attilius; facilius: aemulus.

[16]) Fest. v. topper q. 352 sequntur versus: quamde mare saevom vires cui sunt magnae | topper confringent importunae undae Ap. Herm. 623 et Klussm. p. 69 primus versus mancus. Muell. l. c.: macit.

[17]) Praeit versus: conferre queant ratem aeratam qui perit, mancus ap. Klussm. p. 70 et ceteros.

2. *Media thesis* deest, unde altera versus pars *jambicam* altera *trochaicam habet tripodiam:*

Carm. Fr. Arv.

Semúnes alternéi ádvocapit cónctos.

Mon. Scip.

Cornélius Luciús Scípio Barbátus.

Naev. B. Pun.

Summé deum regnátór quianam genuísti.
Quam cúm stupro redíre ád suos populáris.

3. *Postrema thesis* suppressa, unde *iambici senarii* exstitit species:

Mon. Scip.

Taurásiam Cesaúnam Sámniom cepít.
Honc óinom ploirumé consentiunt Romái.
Magnám sapientiám multásque virtutés.
Quei ápicem insigne Diális fláminis gessistéi.
Honós fama virtúsque glória atque ingeniúm.
Quaré lubens te in grémiúm Scipio recipít.

Liv. Odyss.

Virúm mihi Caména inséce versutúm.
Neque ením te oblitus súm Laértie nostér.
Mea púera quid verbi éx tuo óre profugít [18])?
Argénteo pollúbro et áureo eglutró.
Apúd nympham Atlantís filiám Calypsoném [19]).
Simúl duona córam pórtant ad navís [20]).

Naev. B. Pun.

Eorúm sectam sequúntur múlti mortalés [21]).
Ambórum uxores nóctu Tróiade exibánt [22]).

---

[18]) Herm. l. c. conjecit: subterfugit. p. 618.

[19]) Ap. Herm. p. 721 versus mancus.

[20]) Fest. v. topper p. 352. Muell. p. 397 versus sic distribuit: Topper citi ad aedes venimus Circae | simul duona coram portant ad naves | Milia alia in isdem inserinuntur. Herm. p. 625. omisit: citi.

[21]) Artificiose versus constituit Klussm. p. 41. ibid. alii.

[22]) Serv. Aen. III, 10. sequuntur verba: Capitibus opertis flentes ambae abeuntes | lacrimis cum multis. Herm. p. 630 et Klussm. p. 40: amborum pro exitu versus habent. H. omisit: cum.

Bicórpores Gigántes mágnique Atlantés.
Deínde poléns sagíttis ínclutus arquitenéns [23]).
Honeráriae-honústae stábant in flustrís.
Magnámque domum decorémque dítem vexaránt [24])?
Maniús Valerius cónsul pártem exercití [25]).
Censént eo ventúrum-óbviam Poenúm [26]).

4. *Prima ac media* thesis una suppressa, ita ut prior pars versus *catalectica* posterior *acatalecta* esse *tripodia trochaica* videatur.

Carm. Saliar.

Cózeulo dorí-ésom.-Omina véro.
Quó tibimet cunéi déhiscunt orámen.

Liv. Odyss.

Mátrem procitúm plúrimi venérunt [27]).
Túncque remos jússít religare strúppis [28]).
Túque mihi narrátó omnia disértim [29]).

Naev. B. Pun.

Póstquam avem áspexít témplo Anchises, sacra [30]).
Quámde mare saevóm víres cui sunt mágnae.
Rés divas edícít praedicit cástus [31]).

5. *Prima* ac *postrema* thesis una deest, unde prior pars versus *acatalecta* posterior *catalectica* constare videtur *tripodia trochaica*:

---

[23]) Sequitur versus integer: sanctusque Delphis prognatus Pythius Apollo. Klussm. p. 53 mancos habet.

[24]) Cf. Klussm p. 60.

[25]) Herm. 630 duos mancos versus scripsit. Aliter Klussm. p. 55.

[26]) Klussm. p. 74 manc. vers.

[27]) Fest. v. procitum p. 225. cum not. Muell. Herm. 620. manc. vers.

[28]) Isidor. Origg. XIX, 4. Herm. p. 620. manc. vers.

[29]) Non. v. disertim p. 509. Herm. manc. vers.

[30]) Prob. ad Virg. Eclog. VI, 31. sequuntur duo versus: in mensa penatium ordine ponuntur | Immolabat auream victimam pulcram. Herm. p. 632 conj: avium, templa, auratam. Klussm. p. 56. manc. vers.

[31]) Non. v. castitas p. 197. Herm. p. 637. manc. vers.

Liv. Odyss.

Sáncta puer Satúrni fília reginá.
Tópper facit hómines útrius fuerínt [32]).

Naev. B. Pun.

Rhúncus ac Purpúreús filii terrás.
Qúi terrai Latiái homónes tuserúnt.
Ín mensa penátium órdine ponuntúr,
Ímmolabat áuream víctimam pulcrám.

6. *Media* et *postrema thesis* omissa est, ita ut altera versus parte *tripodia jambica acatalecta*, altera tripodia *trochaica catalectica* appareat.

Carm. Sal.

Duónus Cerúses dúnús Janús venét.

Scip. Monum.

Aetáte quom parvá pósidet hoc saxsúm.

Liv. Odyss.

Mercúrius cumque eó fílius Latonás [33]).
Utrúm genua amplecténs vírginem orarét [34]).

Naev. B. Pun.

Magnúm stuprum populó fíeri per gentés [35]).
Conférre queant ratem áerátam qui perít [36]).
Quod brúti nec satís sárdare queúnt.

7. *Prima*, *media*, *postrema thesis una* suppressa est, ita ut versus *duabus tripodiis trochaicis catalecticis* compositus esse videatur.

Liv. Odyss.

Ín Pylum adveniéns áut ibi ommentáns.
Nám divám Monetás fíliam docuít [37]).

Naev. B. Pun.

Púlcram ex auro véstémque citrosám [38]).

---

[32]) Sic Festi scriptio v. Topper p. 352. Varie conjecerunt Herm. p. 624. et Muell. ibid. not.

[33]) Prisc. VI. p. 679. Herm. p. 623 vers. manc.

[34]) Diomed. I, 379. Herm. 623 vers. manc.

[35]) Fest. v. stuprum p. 317. Herm. 637. pergitis pro per gentes.

[36]) Klussm. p. 64 vers. manc.

[37]) Prisc. VI. p. 679. Codd.: divam, Herm. diva p. 624. vers. manc.

[38]) Herm. 635. vers. manc.

Praeter hos vero versus exémpli causa hoc loco positos etiam ceterae de quibus supra egimus antiquorum carminum reliquiae nulla scriptionis linea mutata hanc normam speciemque prae se ferunt Saturnii numeri; quem etiam facile inclinare in hexametros dactylis et spondeis frequenter adhibitis, docent exempla quaedam:

Liv. Od.

Célsosque ocris árvaque pútria et mare mágnum
Cum sócios nostros mándidísset impius Cýclops.

Quin etiam possunt quidam versus Saturnii eodem jure ut heroici legi:

Liv. Od.

Ínferus an superús tibi fért deus fúnera Ulíxes.
Át celer hasta voláns perrúmpit pectora férro
Cónvenit regnúm simul átque locos ut habérent.

Quamobrem minime inepta est Merulae conjectura, qua Livium Andronicum nonnunquam heroicos versus in Odysseam suam inseruisse putavit [39]), eaque in re vel Homeri imitationi aliquid tribuendum esse consentaneum videtur. Unde etiam Ennius faciliorem habebat Graeci hexametri usurpandi conditionem, quum jam ab illis antiquioribus poetis hunc inveniret praeparatum et ab aliqua parte ad linguam Latinam accomodatum, Saturniis versibus hexametrorum simillimis in carmina Livii et Naevii passim insertis.

---

[39]) Merula ad Ennium p. 88. Cf. Bothe frag. trag. Latin. p. 15. Klussm. l. c. p. 33. Inde orta videtur conjectura R. Klotzii, Handbuch der Lateinischen Literaturgeschichte, Th. I. Leipz. 1846. p. 291, qua putat Saturnium esse ipsum Graecorum hexametrum barbara Romanorum lingua corruptum.

PA 6047 .A2 C6 C.1
Origines poesis romanae
Stanford University Libraries
3 6105 036 199 755

PA
604
A2C6

DATE DUE

	DATE DUE		

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
STANFORD, CALIFORNIA
94305